

31 Bibl. Mont. 32i.



Digitized by Google

JO. DANIELIS SCHOEPFLINI
CONSIL. REG. AC FRANCIÆ HISTORIOGR.

VINDICIÆ TYPOGRAPHICÆ

ARGENTORATI

Apud JOH. GOTHOFREDUM BAUER, Bibliopol.

M DCC LX.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

CAROLO THEODORO

COMITI PALATINO
AD RHENUM

ELECTORI GERMANIÆ

MUSARUM RHENENSIUM
STATORI

PALATINARUM
RESTAURATORI

OMNIUM
CULTORI

PRINCIPI OPTIMO
PIO FELICI.

Digitized by Google

ELENCHUS CAPITUM.

CAP. I.

Notitia prævia.

CAP. II.

Gutenbergii Acta & primordia typographica Argentorati.

CAP. III.

Typographia a Gutenbergio continuata & a Petro Schœffero perfecta Moguntiæ.

CAP. IV.

Typographia literarum ſculptarum a Gutenbergii ſociis continuata & perfecta Argentorati.

CAP. V.

Fabuloſa Argentinenſium de originibus typographicis traditio.

CAP. VI.

Fallaces Fauſti Inſcriptiones.

CAP. VII.

Typographica Argentinenſis Æra Moguntinenſi antiquior.

CAP. VIII.

Typographicæ Harlemenſium origines.

CAP. IX.

Reliqua Gutenbergii fata.

CAP. X.

Gutenbergii Succeſſores Argentinæ uſque ad Sec. XVI.

CAP. XI.

Typographi Alſatiæ extra Argentoratum.

CAP. XII.

Typographi Alſatæ extra Alſatiam.

SPECIMINA PRIMITIARUM TYPOGRAPHIÆ ARGENTINENSIS.

Tab.

1. Liber de Miſeria humanæ conditionis 1448.
2. Soliloquium Hugonis Anni incerti.
3. Mentelii Biblia 1466.
4. Mentelii Aſtexanus 1469.
5. Eggeſteinii Biblia 1468.
6. Eggeſteinii Officia Ciceronis 1472.
7. P. Schœfferi Calligraphiæ Specimen 1449.

VINDICIÆ

VINDICIÆ TYPOGRAPHICÆ.

CAPUT I.

NOTITIA PRÆVIA.

§. 1.

LITERAS mobiles, ſculptas vel fuſas, in paginam componere; paginæ compoſitæ illinere colorem; illitum colorem imprimere chartæ, (a) *Typographia* vocatur. Typographiæ deſcriptio.

Typographus celeri ſua literas jungendi arte imitatur

(a) Chartæ nomine intelligimus folia impreſſionis capacia, cujuscunque materiæ, ut coria, lintea, philyra, papyrum, pergamenam, bombycinam, cottuneam chartas. Prævaluit illa, quæ ex linteis detritis. Color omnis inſervit, ſed prælatus eſt niger.

ſcripturam. (*b*) Literas ſingulas ipſe non format, ſed a ſculptore vel fuſore formatas conjungit, atque imprimit chartæ. Singularium itaque literarum conjunctio Typographiæ fundamentum eſt, veteribus ignotum; qui literas fixas ligneis & metallicis paginis inſculpere noverant, adeoque Xylographiæ & Chalcographiæ non fuerant inſcii; at ſolutiles quod non noverant literas, typographiæ ignari. (*c*) Solutilium ergo literarum inventor verus quoque typographiæ dicendus inventor. (*d*)

§. 2.

Utilitas. Scilicet alternans illa ſingularium literarum junctura ac ſeparatio, & in novas paginas reductio, utilitatem novæ artis conſtituit. Ex paginis compoſitis, ſejunctis, iterumque compoſitis, conficitur liber, cui alius aliuſque, ex iiſdem coalitus typis, ſuccedit. Hæc operarum celeritas &

(*b*) Unde FAUSTUS in notitia, Pſalterio ſuo ſubjuncta, ait: *Adinvencione artificioſa imprimendi & caracterizandi absque calami ulla exaracione.*

(*c*) CICERONEM ſingulares typographicas literas, in paginam componendas, ante oculos habuiſſe diceres, cum contra fortuitam atomorum concurſionem diſputans ſcriberet: „ Cur „ non idem (Epicurus) putet, ſi innumerabiles unius & vi„ ginti formæ literarum, vel aureæ vel quales libet, aliquo „ conjiciantur, poſſe ex his, in terram excuſſis, Annales En„ nii, ut deinceps legi poſſint, effici. „ *De Nat. Deor. Lib.* 2. *Cap.* 37.

(*d*) Ita quoque illuſtris LEIBNITIUS in Libro inedito *Anti-Plagiarius*, ubi ſcribit: „ Typographiæ inventum conſiſtit in „ ſolutilibus typis, dum ſingulæ literæ proprias habent for„ mas, quæ pro arbitrio componi & dividi poſſunt „. Librum hunc mſc. SAM. KOENIGIUS, Principis Arauſion. Bibliothecarius, nuper mortuus, mecum communicavit.

Digitized by Google

orta inde ſubita multiplicatio librorum, (*e*) pretia eorum adeo imminuit, ut Codices, divitum palatiis olim modo illati, pauperum tabernas dein quoque inviſerent. Unde factum, ut brevi poſt typographiam inventam ex ignorantiæ tenebris reſurrexerit orbis, ut ejus beneficio artes & literæ apud Europæos ſibi regnum pararint. (*f*)

§. 3.

Inventio controverſa.

Hanc autem typographiæ præſtantiam literatus cum intelligeret orbis, de inventore denique & inventionis loco cœptum eſt quæri. Diſputatum inter gentes & urbes. At in omni diſputatione hac Scriptores, ad artis gradationem non ſatis attenti, præludia, primitias & perfectionem artis non raro confundunt. Primi inventores, originis veræ conſcii, lucro tantum intenti erant, gloriæque incurioſi. Plures per annos occultaverant artem; unde perfectoribus ejus nata occaſio, ut ſibi cuncta tribuerent; atque ita inventæ typographiæ hiſtoria, ab inventoribus neglecta, a perfectoribus corrupta eſt.

§. 4.

Definitio neglecta.

Accedit ambiguus vocis *Typographiæ* ſenſus; quem pro ſuo quiſque ingenio, vel re non ſatis examinata, vel cau-

(*e*) De typographia Aprutinus ille Epiſcopus, ANTONIUS CAMPANUS, *Lib. VIII. n.* 43. ait: *Imprimit illa die, quantum vix ſcribitur anno.* SABELLICUS *Enead. Lib. VI.* ſcribit: „ Vix credibile dictu, ſed verius vero, tantum literarum „ uno die opificem unum formare, quantum vix biennio ve„ lociſſimus queat librarius. „

(*f*) Eadem artium & ſcientiarum cultura apud populos non Chriſtianos floreret, ſi typographiam in ſuis oris exercerent.

ſæ ſuæ inſerviens, diverſimode adhibuit. Hi libros, ex tabulis ſolidis expreſſos, typographiæ accenſent. Illi omne id, quod fuſiles typos præceſſit, parvi habentes, veram typographiæ indolem in matricibus quærunt. Prior ſenſus Harlemenſibus olim, poſterior Moguntinis placuerat. Neglecta ergo rei, quæ tractabatur, definitio in avia ſcriptores, Andabatarum more pugnantes, abduxit. Rem cognitam definire ſupervacuum videbatur; cum in eo tamen præcipua litis conteſtatio verteretur. (g) Neglectus hic debilitaverat Gutenbergii cauſam, qui nec tabularum ſculpturam, nec literas fuſas invenit. Supereſt ergo, ut vera & propria artis oſtendatur inventio, quam ex documentis non dubiis in lucem producam, ubi prius docuero, quid ex hac arte vetus jam cognoverit ævum.

§. 5.

Sculptura veterum. Typographiam manibus fere tenuerunt Romani. Equidem ſigilla eorum, literis prominentibus ſculpta, & quidem ſculpta retrorſus, quibus vaſa ſignarunt, quoties in

(g) Ex definitionis typographiæ neglectu quoque evenit, ut inſcriptiones, nummis impreſſæ, ad typographicam artem referrentur. Unde Saturni & Jani, quos inventores nummorum reputabant, ætati jam typographiam nonnulli attribuerunt, quæ MATTHÆI LUNENSIS *de rerum inventoribus*, aliorumque ſententia. Nec ſilentio tranſeundus eſt ſingularis ille libros imprimendi modus, quo ULPHILÆ *Evangeliorum* Codex, Upſaliæ ſervatus, argenteis formatus eſt typis. Fiebat ille per literas encauſtas ea ratione, qua Bibliopegi titulos dorſo librorum imprimere ſolent; teſte JO. IHRE, in *Ulphila illuſtrato*, Holmiæ a. 1752. edito. Varii autem hi modi imprimendi cum noſtra quidem typographia aliquid analogi habent, at a Gutenbergiana illa typographia verſatili plane diverſi ſunt.

Digitized by Google

ſupellectile mea antiquaria contemplor, toties omnem fere typographicam formam in illis reperio, cui nihil defuerat, niſi literarum mobilitas; quam artifex ſi addidiſſet Romanus, id eſt, literas, quod facile factu, ſi formaſſet ſolutiles; Roma vetus typographiæ jam fuiſſet inventrix: quæ præcipuas ejus partes, prominentiam & inverſionem typorum jam noverat; mobilitatem, quæ addenda, non vidit. (*b*) Quin & *Regiam* illam, quam vocant, *Legem*, qua Senatus Populuſque Rom. Veſpaſiano Imperium obtulit; (*i*) Tabulas, quibus Lugdunenſium inſculpta libertas, (*k*) *Eugubinam* illam Tabulam, (*l*) militumque Miſſiones, in paginas & libri formam æri inſculptas, (*m*) ut & Diptycha eburnea Romæ, Veronæ, Lugduni, Compendii, Lutetiæ & apud Veſontinos cum peregrinator vidiſſem; non ſemel tacitus mecum revolvi: quam facile erat, literas has ſculpere ſolutiles, ſculpere extantes, ſculpere retrorſus. Nihilominus veteres ſubſtiterunt ad portam, quam poſt tot ſecula denique aperuere Germani, ad artis inventionem gradatim progreſſi.

(*b*) Veteres lapidibus, metallis & lignis literas inſculpſerunt, ita quidem ut vel cavæ eſſent, vel proſilirent extantes. Sculpturæ hujus finis non fuerat, ut aliquid ex ea exprimeretur, ſi ſigilla excipias, ſed ut rei inſculptæ perſtaret memoria. Quodſi paginas ad imprimendum incidere voluiſſent, verba retrorſus & extrorſus ſculpenda fuiſſent, ut eminerent ex plano.

(*i*) Extat in ANT. AUGUSTINO *de Legibus p.* 127.

(*k*) Apud Scriptores Antiquitatum Lugdun. ſpeciatim in libello: *Antiquités de Lion* DOMINICI DE COLONIA *pag.* 17.

(*l*) GRUTERI *Inſcript. tom.* I. *p.* 142. Linguæ Etruſcæ monumentum.

(*m*) Romanæ Coloniæ libros quoque ſuos æris habebant, de quibus HYGINUS *de Limitibus conſtituendis pag.* 193. Adde lamellas duas æneas Patavinas apud GRUTER. *t.* 2. *p.* 1032.

§. 6.

Xylographia medii ævi.

Chriſtianiſmus literas, Italia artes & opificia intulerunt Germaniæ. Primum Xylographiæ, ad typographiam ducentis, gradum chartulæ illæ conſtituerunt luſoriæ, quarum uſus ſeculo XIV. fuit frequens apud Germanos & Gallos. (*n*) Seculo ſequenti ars iſta Noribergæ, Auguſtæ Vindelicorum, Ulmæ, Harlemi, Argentorati quam maxime floruit. Apud Noribergenſes illuſtris ille Mathematum cultor, JOANNES MULLERUS, Regiomonti Franconiæ natus, qui a. 1476. deceſſit; (*o*) apud Argentinenſes circa a. 1464. GUILLIELMUS BAUR & FRIDERICUS SCHOTT, Martini Schotti, typographi pater; apud Colmarienſes præſtantiſſimus ille ſculptor & pictor, MARTINUS SCHOEN, Alberti Dureri magiſter; (*p*) apud Harlemenſes LAUR. COSTERUS, in Xylographica hac arte floruerunt. Hi cum varias delineationes ligneis tabellis inſculperent; quum iconibus, ex hiſtoria præſertim ſacra deſumptis, ſententias immiſcerent & nomina, cum denique folia, tabulis impreſſa, in libri formam redigerent, typographicæ arti præ-

(*n*) Chartæ luſoriæ jam in Caroli V. Galliæ Regis aula invaluerunt; Satellites Regii talis & chartulis ludebant. *Petit-Jehan de Saintré* apud BULLET *Recherches ſur les Cartes à jouer.*

(*o*) *Meiſter Johann von Kœnigſperg*, natus a. 1436. Kœnigsbergæ, non Boruſſiæ, ut multis creditum eſt, a Pontifice Noriberga Romam vocatus, a. 1476. deceſſit. Vitam & Indicem operum ejus, a. 1473. circiter publicatum, exhibet DOPPELMAYR in *Nachricht von den Nürnbergiſchen Mathematicis u. Künſtlern pag.* 1. *ſqq.* Add. SCHWARZII *Docum. de Orig. Typograph. Part.* 3. *pag.* 49. *ſqq.*

(*p*) WIMPHELING. *Epitome Rer. Germ. Cap.* 68. BEATUS RHEN. *Rer. Germ. pag.* 284. qui Schœnio Paulum atque Georgium, aurifices præſtantiſſimos, dat fratres.

Digitized by Google

ludere viſi ſunt. Ab immobilibus enim literis ligneis ad mobiles ligneas perfacilis tranſitus eſt.

§. 7.

Ex Xylographicis his ſcholis pedetentim prodierunt: Specimina Xilographica.

VATICINIA VETERIS TESTAMENTI DE CHRISTO.

ARGUMENTA EX CANTICO CANTICORUM.

TENTATIONES DÆMONIS.

ARS MEMORANDI PER FIGURAS EVANGELISTARUM.

ARS MORIENDI.

QUATUOR EVANGELIA HIEROGLYPHICE.

APOCALYPSIS FIGURÆ ET SENTENTIÆ.

HISTORIA B. MARIÆ VIRG. IN FIGURIS.

DE ANTI-CHRISTO; (q)

aliique hujus generis libelli, quorum plerique idiomatis latini ſunt; quidam teutonici; omnes non opiſtographi, ſed foliatim ab una tantum parte impreſſi. Ut autem opiſtographi viderentur, duo folia conglutinarunt in unum. Codicum horum characteres immobiles ac fixi ſunt; ſed formæ impolitæ & rudis. Magnitudo eſt folii minoris. Exempla hujus generis Codicum, anni, loci & artificis deſtituta indicio, in Literariis Itineribus Vindobonæ, (r) Gottwici, (s)

(q) Libros hos recenſuerunt partim SCHELHORNIUS in *Amœnitatib. Literar. tom. I. p. 5. ſqq. & tom. IV. p. 293. ſqq.* partim *Memorabilia Vindobonæ*, Germ. edita, *pag.* 102. *ſqq.* SCHWARZIUS in *Indice Novo Libr. pag.* 11.

(r) In Bibliotheca Comitis Pertuſati.

(s) Apud GODOFR. BESSELIUM, *Chronici Gottwic.* auctorem.

Noribergæ, (*t*) Francofurti, (*u*) quin & Lutetiæ (*x*) ac Londini (*y*) frequenter inſpexi.

§. 8.

Tres artes diſtinguendæ.

In examinandis ergo typographiæ originibus ne verbis certetur, tres diverſæ inter ſe diſtinguendæ ſunt artes, veluti per gradus pedetentim exortæ.

Prima ſpeciem illam Xylographiæ conſtituit, quæ tabellas, paginis librorum ſimiles, literis fixis exſculpſit, ita ut ex foliis conjunctis libri forma prodiret. Ad claſſem hanc referendi ſunt illi, quos præcedenti enumeravi paragrapho; quorum inventorem Batavi Coſterum Harlemenſem conſtituunt.

Secunda literas fixas commutavit in mobiles; unde verſatilis illa typographia exſurgit, cui proprie nomen *Typographiæ* debetur. Hanc Gutenbergius Argentinæ invenit.

Tertia denique literas ſculptas convertit in fuſas; quam Petrus Schœfferus Moguntiæ reperit.

Prima præluſit ſecundæ, quæ veram typographiam conſtituit. Tertia ſecundam promovit.

Primæ claſſis artem, quæ typica vel tabellaris typographia eſt, ad mentem Batavorum *Coſterianam* vocabimus.

(*t*) In Bibliotheca publica. Confer. SAUBERTI *Bibliotheca Noriberg.*

(*u*) Apud Uffenbachium Conſulem.

(*x*) Apud Claudium Bozeum.

(*y*) In Bibliotheca Comitis Pembrockiæ. Divitem hujus generis Codicum ſegetem nobis promittit Illuſtris MEERMANNUS.

Secundæ

Secundæ claſſis artem, quæ vera & propria typographia eſt, *Gutenbergianam* appellamus.

Tertia itidem vere & proprie *Schœfferiana* dicenda eſt.

§. 9.

Singulæ hæ ſpecies ſuos gradus habuerunt. Coſteria- Artium iſtarum incremennam ALBERTUS DURERUS, Noribergenſis, a. 1528. mortuus, & diſcipuli ejus, in Cæſaris Maximiliani opere TEWRDANNCKH (z) ad ſummum perfectionis gradum extulerunt. Gutenbergianæ typographiæ, Argentorati inventæ & exercitæ, incrementa noſſe qui cupit, is rudia illa ſpecimina, quæ inter DOCUMENTA exhibemus, & ipſa Menteliana Biblia cum Eggeſteinianis Bibliis, & cum Gratiani *Decreto* conferat. Res omnis a peritia ſculptoris pependit, qui literas ſingulas, a typotheta adhibendas, ſcalpro efformat. Sculpti characteres, circa a. 1470. Argentinæ adhibiti, elegantioris profecto formæ ſunt, quam fuſiles, quos Schœfferus a. 1459. primum adhibuit; quibus & ſua denique perfectio, ſed nonniſi plures poſt annos, & quidem in Italia, Gallia, Belgio magis, quam Moguntiæ acceſſit. ta.

§. 10.

Coſteriana typographia, quæ aſſimilatur Sinenſi, (a) Præſtantia inventio-

(z) Xylographicæ artis præſtantiſſimus liber, opiſtographis foliis impreſſus, qui teutonicis verſibus Maximiliani I. Imper. juvenilia exponit. Prodiit Auguſtæ Vindel. a. 1519. apud Schœnſperger. Dubitatur an ipſe Cæſar, an Melchior Pfinzingius ejus juſſu ſit auctor. Vid. KOELERI *Diſſert.* a. 1714. de libro hoc edita.

(a) Unde MENDOZA, BOTERUS, MAFFEJUS, GREGORI-

nis Gutenbergicæ. mediocrem orbi literato utilitatem, ſine Gutenbergiana, præſtitiſſet. Quanto temporis ſpatio opus eſt, ut tabula, uni tantum libro imprimendo inſerviens, ſculpatur. Quam velociter e contra Gutenbergianus typotheta ſuam paginam componit, corrigit, mutat & ſeparat, ut characteribus iiſdem novam paginam formet. Circulus hic Gutenbergianam artem, tam facilem, tam utilem & proficuam reddit; quæ ultra triginta annos Argentinæ publica cum utilitate & fructu, ante Schœfferianam exercita eſt; ſine qua Argentinenſis Gutenbergica perpetuo ſubſiſtere & florere potuiſſet.

§. II.

Saltus fallax aliorum. Uti ergo illi, qui tabellarem vel Coſterianam pro vera & propria typographia venditant, haud dubie falluntur, (*b*) ita & illi erroris accuſandi ſunt, qui artifices a Coſteriana ad Schœfferianam, Gutenbergica præterita, uno ſaltu transiviſſe exiſtimant; quod tamen TRITHEMIUS, (*c*) GEBVILERUS, (*d*) BERGELLANUS, (*e*) BOXHORNIUS TOLOSANUS, PANCIROLUS, OSORIUS, LINSCHOTUS, TRIGALTIUS, aliique plures typographiam a Sinenſibus repetunt; qui antiquiſſimis temporibus literas inſculpſerint tabulis. Tabellarem hanc Sinenſium methodum deſcribit DU HALDE in *Deſcriptione Sinenſis Imperii*, Gall. edita, *Tom.* 2. *pag.* 249. Apud Cathainos Indos antiquitus jam floruiſſe typographiam, ex Hiſtoricis regionum inventarum refert THEODOR. ZWINGERUS *Theatr. vitæ hum. vol. XX. lib.* 1. *pag.* 3629. BUSBEQUIUS *Epiſt. IV.*

(*b*) SCHELHORN. *Amœnit. Liter. tom.* 4. *pag.* 293. Anonymus in *Memorabil. Vindob. p.* 105. 115.

(*c*) *Annal. Hirſaug.* ad a. 1450.

(*d*) *Panegyr. Carolina p.* 37.

(*e*) In *Chalcographiæ Encomio* a. 1541. edit. ubi v. 117. ita:

US, (*f*) & nuper demum FOURNIERIUS (*g*) ſtatuerunt. Veras illi origines hoc ſaltu tranſiliunt. Perſiſtendum in medio. Solutilium inventor typorum, cujuſcunque hi indolis ſint, artis typographicæ eſt verus inventor, quæ reliquas artes omnes conſervat, propagat. Hanc autem a Gutenbergio inventam Argentorati, pluresque per annos ibidem cum ſociis ab eo exercitam fuiſſe, antequam eam tranſtulerat Moguntiam; antequam matrices invenerat Schœfferus, & tabellas Coſterus; ex documentis authenticis, quæ perquiſitio longa & fors denique ipſa mihi obtulit, hoc opuſculum docebit.

„ Et levi ligno ſculpunt hi grammata prima,
„ Sed quia non poterat propria de claſſe character
„ Tolli, nec variis uſibus aptus erat,
„ Illis ſuccurrit Petrus, cognomine Schœffer.
„ Ille ſagax animi præclara toreumata finxit,
„ Quæ ſanxit matris nomine poſteritas.

(*f*) Differt. *de Invent. typographiæ pag.* 37.

(*g*) *L'origine & les progrès de l'art de graver en bois pag.* 53.

CAPUT II.

Gutenbergii acta & primordia typographica Argentorati.

§. 1.

Veri inveſtigandi occaſio.

ARGENTORATI bonas literas docere vix cœperam, quum ſuſpecta mihi fierent fundamenta, quibus typographicas huic urbi primitias Alſatici Scriptores vindicare ſueverunt. Gutenbergio, cui publica Europæ fama hanc aſſerit artem, Mentelium opponi, non parum miratus ſum. Primarium hunc typographiæ Argentinenſis artificem, ſed non primum conſtanter reputavi. At auctoritas virorum illuſtrium, qui Mentelio faverant, juvenem me aliquandiu cohibuit. Quadrageſimo autem hujus ſeculi anno ſecularem inventæ Typographiæ memoriam apud Germanos & Batavos multæ quum celebraſſent civitates, originis ejus propius inveſtigandæ mihi nata occaſio.

§. 2.

Inveſtigandi modus.

Publica omnis generis Acta, Commentarios, Regiſtra, quæ deceſſores neglexerant, in tabulario Civitatis tum curatius inveſtigare incepi. Inveſtigationi per temporum intervalla ſucceſſus reſpondit. Joh. Gutenbergium a. 1441. & ſequenti civem Argentinæ vixiſſe, jam pridem Inſtrumenta duo me docuerant Thomana, quæ in ſcrinio Capituli detexerat SCHERZIUS, Antiquitatum Teutonicarum

Digitized by Google

ſcrutator illuſtris. (*b*) Eundem Gutenbergium Alſaticam Nobilem Argentorati duxiſſe uxorem, onera publica ſolviſſe civitati, ſocietatem circa artem occultam cum civibus iniviſſe, ex ſcrinio Curiæ me docuit Vir de re literaria præclare meritus, JACOBUS WENCKERUS, tabularii cuſtos, dein Reip. Conſul. Tum vero ita ratiocinari incepi. Chriſtophorus Columbus & Americus Veſputius, Itali, apud Hiſpanos commorati, novi orbis inventi gloriam pepererunt Hiſpanis. An non Gutenbergius, Moguntinus origine, fortunarum ſuarum ſedem Argentorati figere, & typographicam in ea artem invenire, adeoque inventionis gloriam cum Argentinenſibus partiri potuiſſet?

§. 3.

Academico hæc Programmate paucis expoſui, (*i*) cum ad ſecularem, Typographiæ inventæ, orationem, a literato juvene habendam, Academiæ cives invitarem. At plenum denique inveſtigationi meæ lumen poſt quinquennium acceſſit, quum Nummaria turris, (*k*) cimeliorum Argentinenſium cuſtos, rimis ſuis fatiſcens, ſuperiore ex Felix ſuceſſus.

(*b*) JO. GEORGIUS SCHERZIUS, Juris Anteceſſor, qui a. 1717. excerpta ex chartis his communicavit amicis, per quos ad SCHELHORNIUM pervenerunt, qui jam a. 1720. *Amœnitatum Literar. Tomo IV. pag.* 304. eadem inſeruit, nos integra Documentis noſtris inſerimus Num. V. & VI.

(*i*) Eodem tempore Regiæ Inſcriptionum Academiæ Diſſertationem ſuper hoc argumentum Lutetiam transmiſi, quæ *Commentariorum* ejus *Tomo XVII.* inſerta.

(*k*) Turrem hanc deſcripſit SCHILTERUS in *Obſervat. ad Kœnigshovii Chron. pag.* 1101. Directores architectonicæ rei die Johannis Bapt. ſingularum turris camerarum & fornicum ſtatum examinarunt. Occaſione hac cives & exteri ad cimelia inſpicienda admiſſi. Turris lingua patria *Pfenningthurn.*

parte deſtrui cœpiſſet. Carrocium atque vexillum Argentinenſe, tabulas ceratas, diplomata, aureis bullis inſtructa, aliamque antiquitatis ſupellectilem, a me prius jam identidem viſam, quum denuo inſpicerem, in Cameram denique incidi, rarius ante referatam, ubi vetera Protocolla Senatus, chartaceos nempe codices, formæ folii minoris, annis ſignatos, longa ſerie deprehendi. HENRICUS BARTHIUS, tabularii tum Præfectus, Vir amantiſſimus literarum, eos mecum ex tenebris protraxit. Excuſſimus ſingulos, nonnullos excerpſi. Cum autem ad Codicem a. 1439. perveniſſem, vix evolvi volumen, quum Gutenbergii nomen in meos oculos incurrit. Inquirens ulterius longam teſtium ſeriem reperi, qui de Gutenbergiano arcano teſtimonia perhibent, quorum pleraque typographicam artem deſignarunt aperte.

§. 4.

Codex inventus.

Codex authenticus, loco ſacro ſervatus, in quo publice perſcripta ſunt Acta Senatus, teſtiumque effata coram delegatis Senatus fideliter conſignata, venerandæ auctoritatis eſt. Perſcripti ſunt ibi teſtes, producti in lite, Gutenbergio exorta, poſtquam unus ex ſociis ejus deceſſiſſet, cujus heredes in arcani ſocietatem voluerant admitti; quod arcanum non aliud profecto fuit, quam Typographiæ arcanum.

Ab eo tempore, quo poſtrema hæc documenta detexi, Literatis noſtris Argentinenſibus commendare non deſtiti, ne porro Mentelium ſuum Gutenbergio Moguntino, ſed Gutenbergium Moguntinum Moguntinis opponerent. Et illi tandem intellexerant mecum, omnem Argentinenſium cauſam in ſolo jam Gutenbergio verti, vitæque ejus, Argentorati tranſactæ, origines typographicas haud dubie involvi. *Alſatiæ Literatæ*, quæ ſuo tempore prodibit, hoc

Digitized by Google

argumentum reſervaveram, quod, mutato conſilio, nunc ſeparatim pertracto.

§. 5.

Johannes Gutenberg (*l*) ex equeſtri Sorgenlochiorum (*m*) apud Moguntinos proſapia, varios olim in ramos diviſa, Moguntiæ (*n*) natus, patrem habuit Frielium, qui a. 1430. deceſſit. (*o*) Mortuo hoc filius, ſorte mediocri Gutenbergius Mogunt. Argentinam migrat.

(*l*) Argentinenſia Acta eum *Hans Gutenberg*, *Hans Gensfleiſch* promiſcue appellant. Nomina *Gensfleiſch*, *Gutenberg*, *Zum Jungen*, diverſa ejuſdem Sorgenlochiæ gentis ſunt familiarum cognomina, a diverſis ædium, quas inhabitarunt, *zum Gutenberg*, *zum Jungen Aben*, inſignibus orta. WIMPHELINGIUS in *Vita Ruperti Epiſcopi* Moguntinas ædes *Boni montis* memorat. Inſtrumentum Thomanum a. 1441. ait: *Johannes dictus Genſefleiſch, alias nuncupatus Gutenberg de Maguntia, Argentinæ commorans.* Documentor. Num. V. *p.* 31.

(*m*) A vico Pagi Moguntiacenſis. Vid. *Scriptor. Rer. Mogunt. tom.* 2. *pag.* 925. HELWIGII *Syntagma Monumentor.* voce *Sorgenloch*; HUMBRACHT *Rheiniſch Ritterſchafft pag.* 290. Errant, qui Gutenbergium Nobilium ordine excludunt, & aurificem conſtituunt; quod facit JAC. MENTELIUS in *Excurſu de Typographia pag.* 3. & in *Orig. Typogr. pag.* 5. & 45. Idem NIC. SERARIUM facere, *Rerum Moguntinarum* ſcriptorem, *Lib. I. Cap.* 38. eo magis miramur, quod veritatem rei addiſcere ei perfacile fuiſſet. In ſententia litis cum Fauſto, a. 1455. Moguntiæ agitatæ, *Juncher Gutenberg* dicitur.

(*n*) Falluntur ergo JAC. WIMPHELINGIUS, BAPT. FULGOSUS, PHIL. JACOBUS BERGOMAS, GILB. GENEBRARDUS, SETHUS CALVISIUS, ARNOLDUS BERGELLANUS, ATHAN. KIRCHERUS in *Propylæo ad Oedipum Ægypt.* MELCHIOR ADAMI, ORLANDI, aliique non pauci, qui Gutenbergio patriam Argentoratum adſignant.

(*o*) KOELER. *Gutenbergs Ehren Rett. p.* 18.

præditus, patria relicta, Argentoratum migravit; meliorem ſibi, ut videtur, fortunam apud exteros paraturus. Gutenbergium eodem, quo pater ſepultus eſt, anno patria exiviſſe, indicio chartæ Moguntinæ (*p*) docemur. Ex inſtrumento autem Argentinenſi (*q*) colligimus, Gutenbergium a. 1434. jam per aliquot annos habitaſſe Argentorati. Graves enim ille de Moguntia querelas apud Senatum Argent. tum temporis movit, quod annuos illa reditus, a longo jam tempore ſibi debitos, (*r*) perſolvere neglexerit. Moguntinos itaque ut ad ſolutionem compelleret, Nicolaum, Archigrammateum eorum, in Alſatiæ partibus negotia gerentem, cepit, ex captivitate non dimiſſurus hominem, niſi poſtquam trecentos & decem florenos Oppenhemii in domo, Leopardo inſignita, ante proximum feſtum Pentecoſtes ſe depoſiturum, jurejurando promiſiſſet. Moguntinenſes quum ea ſuper re ad Senatum Argent. ſcripſiſſent, hic Gutenbergium induxit, ut Nicolaum abſque ulla conditione dimitteret. Inſtrumentum, hac ſuper re a. 1434. conditum, in publico Civitatis Argent. Contractuum Libro hodieque ſubſiſtit. Gutenbergio plurium annorum cenſus cum Moguntini debuerint, plures quoque eum per annos Argentinæ jam habitaſſe, non temere inferimus. Firmatur hinc, quod modo conjeci, eum mortuo patre exiviſſe Moguntia, atque adeo circa a. 1430. ſedem fixiſſe Argentorati. Bellum, quod Gutenbergius patriæ ſuæ tam aperte indixit, animum ejus redeundi Moguntiam profecto non prodit.

(*p*) Inſtrumento ſcilicet Conradi III. Electoris Mogunt. a. 1430. in *Scriptor. Rer. Mogunt. tom.* 3. *p.* 460. & apud KOELER. *l. c.* in Probat. *pag.* 67.

(*q*) Vide Documenta Num. 1.

(*r*) Inſtrumentum ait: *Ettwie vil vergeſſener zinſſe von der obgenanten Statt Menze uſſeſtat.*

§. 6.

§. 6.

Cataſtrum gabellæ vini, (*s*) cui incolæ, vectigal Argentinæ tunc temporis ſolventes, inſcripti ſunt, Joh. Gutenbergium ab a. 1436. uſque ad a. 1444. in *Conſtaſleriorum*, adeoque in civium nobilium, claſſe recenſet. (*t*) Idem Gutenbergius a. 1437. coram Judice Eccleſiaſtico litem habuit cum *Anna*, (*u*) nobili virgine, cive Argentinenſi, promiſſi, ut videtur, matrimonii cauſa; cujus exitum charta non docet. At idem Cataſtrum Annam Gutenbergiam idem vectigal, Gutenbergio jam profecto, ſolventem, nominatim cum exprimat, Gutenbergii conjugem eam deveniſſe conjicimus. Gutenbergius Civis Argent.

§. 7.

Eo ipſo tempore, quo matrimonialis Gutenbergii cauſa agebatur, primitias ille typographicæ artis cum Argentinenſibus ſociis jam occulte tractaverat. Modico nimirum patrimonio inſtructus, artique perficiendæ non ſufficiens ſolus, ſocios ſibi paravit, qui pecunia eum operaque juva- Lis ejus coram Senatu.

(*s*) Vectigal hoc ab obolo, qui per ſingulos vini cantharos ſolvebatur, *Obolarium* vocabant, vernacule *Helbeling-Zoll*, hodie *Wein-Umgelt*. Regiſtrum dicitur *Helbelings-Zollbuch*.

(*t*) Sub rubro *Conſtofeler*. Vid. infra Documentum Num. VII. Cives ex ordine Equeſtri non in tribus, ſed in ſocietates, quas *Conſtaſlias* vocabant, deſcripti fuerunt, *Conſtaſlerii* hinc dicti. Gutenbergius itaque, civilegio gaudens, uni ex Conſtaſliis fuit adſcriptus, non tribubus civium, quod fuerat nobilis.

(*u*) *Emelin zu der Iſerin Thüre*. Gens hæc Alſatica circa a. 1418. interiit, ut matricula Nobilium Alſatiæ Inferioris a. 1653. nos docet.

rent. Hos inter unus quum morte decederet, fratremque defuncti in ſocietatem, quam petierat, non admitterent ſocii, hic Gutenbergium, principem ſocietatis, citavit ad judicem. Senatus poſtquam teſtes utrimque magno numero audiviſſet, pro Gutenbergio pronuntiavit. In ſententia Senatus, quam Documenta noſtra exhibent, (x) rei totius hæc narratur origo.

§. 8.

Litis origo. Gutenbergio novis artibus Argentinæ tractandis exercente ingenium, Andres Drizehenius, civis, (y) familiaritate ei conjunctus, petiit ab eo, ut pro ſua in eum amicitia aliquid ex illis ſibi revelaret. Gutenbergius, amici precibus commotus, artem lapides poliendi ei manifeſtavit; unde non parum lucri Drizehenius hauſit. Inter hæc Gutenbergius cum Riffio, Lichtenavienſi trans Rhenum Judice, alterius cujuſdam artis ſocietatem inivit, ex qua in proximis Aquisgranenſibus nundinis lucrum rediret. Drizehenius, hac de re certior factus, Gutenbergium denuo precibus urſit, ut iſtius quoque artis tractandæ ſe ſocium cooptaret; quod alius quoque civis, Anton. Heilmannus, Gutenbergii amicus, pro fratre ſuo Andrea petierat. Gutenbergius utrique annuit, & accepto 160. florenorum præmio, ambos in ſocietatem recepit. Poſt hæc duo ſocii hi Gutenbergium, ad S. Arbogaſtum extra portas urbis

(x) Documentum Num. III.

(y) *Dritzehen* Senatoria gens pridem extincta. A. 1417. Hugo Dritzehen Conſul fuit. Filius ejus Hugo a. 1418. Senator. Georgius nepos a. 1428. ac Nicolaus a. 1449. & 1453. Senatores quoque, ex quibus Nicolaus a. 1458. Tredecimvir factus. Hi duo poſtremi fuere fratres Andreæ, qui Gutenbergio litem moverunt.

Digitized by Google

habitantem, quum inviſerent, obſervarentque, eum præter iſtas artes, quarum ſocii erant, adhuc alias tractare, non deſtiterunt eundem rogare, ut ex ſecretis, quas noſſet, artibus (z) ipſos nullam celaret. Reſciſſa ergo ſocietas vetus, & contracta eſt nova. Tum vero ſocii hi duo polliciti ſunt, ſe præter 160. florenos iſtos, quos jam ſolviſſent, Gutenbergio alios 250. florenos, & quidem centum parata ſtatim pecunia, reliquos 150. certis ſoluturos temporibus. Ex ſumma hac ſolvendi reſtabant 85. floreni, quum Andreas Drizehenius e vita decederet. Georgius frater, in locum defuncti cum recipi vellet, rejectus a ſociis, Gutenbergio, ſocietatis principi, diem dixit coram Senatu.

§. 9.

Cognita cauſa, teſtibuſque auditis, cum Drizehenii allegarent ſumptus, quos frater impenderat, Gutenbergius autem ad pactum cum eo initum provocaret, ex quibus 85. florenos adhuc ab eo ſibi deberi, iisque ſolutis 100. florenos modo heredibus reſtituendos eſſe conſtaret, Senatus a. 1439. die 12. Dec. ſententiam tulit, jubens, ut Gutenbergius ſociique ejus, Heilmannus & Riffius, fidem totius pacti jurejurando firmarent; Gutenbergius aliud inſuper adderet, quo 85. florenos iſtos ab Andrea nondum ſolutos ſibi eſſe aſſeveraret. Utrumque cum Gutenbergius præſtitiſſet, reliquoſque 15. florenos iiſdem heredibus ſolviſſet, liberatus eſt cauſa. Litis deciſio.

§. 10.

Inter artes occultas, quas Gutenbergius Argentinæ tra- Effata teſtium.

(z) *Sin künſte und afentur.* Docum. p. 22.

ctavit, principem locum typographia tenuerat, quam tamen nec Senatus, quanquam optime judicans, nec teſtes, vera licet effati, cognoverant. Drizehenius contra Gutenbergium XXIV, reus contra actorem XIV. teſtes produxit. (a) Ex omnibus eorum modo proferam effata, quæ præcipua artis indicia continent.

Anna, Joh. Schultheiſſii, lignarii, uxor profeſſa eſt, Gutenbergium poſt Andreæ Drizehenii, in cujus domo Typographia exercebatur, mortem Beildeckium famulum ſuum ad Nicol. Drizehenium miſiſſe, cum mandatis, ut hic quatuor paginas, in prelo jacentes, eximeret prelo & in partes diſſolveret, ne quis artis illius ſecreta videret. (b) Addidit Anna, ſe per totos ſæpe dies & noctes Andream operi huic intentum vidiſſe; cui is multum impenderit pecuniæ, ideoque ex bonis ſuis nonnulla oppigneraverit, ut perficeret opus. Eadem repetiit Annæ maritus, addiditque, Drizehenium aſſeveraſſe, plus quam trecentos arti huic ſe jam impendiſſe florenos. Typographicum prelum in Gutenbergii & ſociorum uſum Conradus Saſpach, tornator, confecit, qui prope Summum templum in Mercatorum platea (c) habitavit. Hunc, mortuo Andrea Drizehenio, adiit Andreas Heilmannus, eumque vel inſtinctu Gutenbergii, vel proprio motu, rogavit, ut domum, ubi prelum erat, adiret, atque ex eo tolleret columellas; quin & ſolutiles earum literas diſſolveret, ne artis cognoſcerentur arcana. Saſpachius, rem executurus, columellas non reperit; (d) quod

(a) Effata hæc teſtium vide inter Docum. Num. II.

(b) *Andres Dritzehen ſelige hat IV. Stücke inn einer Preſſen ligen, Da hatt uch Hanns Gutemberg gebetten, das ir die daruſz nement, und uff die Preſſe legent von einander, ſo kan man nit geſehen, was das iſt.* Vid. Docum. pag. 6.

(c) *Krœmergaſſe.*

(d) Idem quoque profeſſus eſt Jo. Schultheiſſ, teſtis præcedens.

Nicolaus Drizehenius Gutenbergii juſſu eas jam exemerat prelo. Facta hæc ſunt die D. Stephano ſacra, adeoque a. 1438. vergente ad finem.

§. 11.

Beildeckius, Gutenbergii famulus, ad teſtimonium vocatus, diſerte profeſſus eſt, Domini ſui juſſu ſe Nicolao Drizehenio injunxiſſe, ne cui prelum oſtenderet; quin potius cochleolas, quæ columellas conſtringunt, ſine mora aperiret, ut typi dilaberentur in partes, atque adeo res occulta maneret. (*e*) Antonius Heilmann, Andreæ frater, de impreſſoriis formis enuntiavit, quod Gutenbergius, ante Natalitia Chriſti ad Andream Drizehenium & Andream Heilmannum miſerit famulum, ut omnes ei formæ transmitterentur, quo eas inſpiceret; poſt mortem prioris autem vehementer urſiſſe, ut typi diſſolverentur, ne prelum inſpecturi detegerent arcanum. Ultimus denique teſtis, *Hanns Dunne*, aurifaber, falſus eſt, ſe nupero triennio centum florenorum ſummam pro variis rebus, ad impreſſionem pertinentibus, à Gutenbergio accepiſſe. (*f*) Teſtimonia alia.

§. 12.

Selecti hi teſtes præcipuas typographiæ & utenſilium ejus partes in teſtimoniis ſinguli tam ſimpliciter, tam aperte exponunt, ut indolem artis vel obiter noſcens, eam Teſtimonia explicantur.

(*e*) *Claus Dritzehen ſolte gon über die Preſſe und die mit den zweyen wirbelin uff dun, ſo vielent die ſtucke von einander. Dieſelben ſtucke ſolt er dann in die Preſſe oder uff die Preſſe lege, ſo kunde darnach nieman geſehen noch ut gemercken.*

(*f*) *Das er vor dryen joren oder doby Gutemberg by den hundert guldin abe verdienet habe alleine das zu dem trucken gehöret.*

facile in effatis eorum reperiat. Memoratur prelum (*ff*) nominatim; memorantur columnæ, (*g*) ſubjectæ jam prelo. Sed & typi memorantur ſolutiles, a typotheta concinnandi; præcipuum artis arcanum; quod ne in publicum efflueret, Gutenbergius tam ſollicite cavit; mortuo Andrea jubens, ut cochleæ, (*h*) quæ mobiles conſtringebant typos, ſine mora aperirentur, quo nempe typi illi poſſent diſſolvi. Non prohibuit ſocios, ne prelum oſtenderent; prohibuit, ne quis typos ſolutiles, arte junctos & in columellas compoſitos, quæ verum typographiæ arcanum conſtituerunt, inſpiceret; unde typos eximi prelo voluit atque diſſolvi. (*i*) Quod ſi paginæ non niſi ex tabulis ſolidis, literas fixas continentibus, conſtitiſſent, nullum Gutenbergius arcanum, ſed rem omnibus notam, tractaſſet; nec fixæ illæ literæ potuiſſent ſeparari, quod tamen famulo ſuo præſertim Gutenbergius injunxerat. Ille quum ea, quæ viderat & a Domino ſuo audierat, declaraſſet liberius, Drizehenius eum infectatus eſt minis; unde Beildeckii apud Senatum querela. (*k*)

§. 13.

Conſectaria varia.

Ex præcedentibus Lector ſequentia colligit:

I. Gutenbergius Argentinæ manibus ſuis typographiam non ipſe tractavit, ſed operis inventor fuit atque director.

(*ff*) *Die Preſſe.*
(*g*) *Die vier Stücke.*
(*h*) *Die Wurbelin*, id eſt, *die Schrauben.*
(*i*) *Das lüte gern hettent die preſſe geſehen, do ſpreche Gutenberg, ſü ſoltent noch der preſſen ſenden, er forhte das man ſü ſehe. Do ſante er ſinen knecht harin ſü zuſ legen.* Docum. p. 12.
(*k*) Vid. Documentum Num. IV. pag. 27.

Digitized by Google

II. Andreas Drizehenius, civis Argentinenſis, arti exercendæ præ aliis incubuit, atque patrimonium ſuum in eam impendit, adeoque præcipuus fuit Gutenbergii adjutor & inventionis promotor.

III. Primitiæ artis in ædibus Drizehenii hujus præſertim tractatæ ſunt; adeoque in urbe, non in ſuburbanis Arbogaſti, ubi Gutenbergius habitavit. Utenſilia varia, quæ ad artis exercitium a variis opificibus erant paranda, Gutenbergium induxerunt, ut officina conſtitueretur in urbe. Qua autem in urbis parte Drizehenius habitaverit, huc uſque non comperi. Traditio eſt, typographiam in domo, cujus inſignia erant *Luſtrum*, (*l*) fuiſſe inventam.

IV. Primum typographicum prelum Conradus Saſpach in Mercatorum vico confecit.

V. Non levis ſuſpicio eſt, Gutenbergium literas ſuas non tantum ex ligno ſculpſiſſe, ſed etiam ex plumbo. Inter impenſas enim ad artem exercendam mentio quoque fit plumbi; (*m*) unde literas metallicas ſculptas Argentorati adhibitas jam fuiſſe crederes, quas Petrus Schœfferus deinceps Moguntiæ in fuſas convertit.

VI. Beildeckius inter alia profeſſus, Gutenbergium ſibi

(*l*) *Zum Thiergarten*; e regione Epiſcopalis Palatii, ubi novum jam Societatis Jeſu terminatur Collegium. Id certum eſt, quod in Domo illa celebris typographus, *Joh. Pruys*, deinceps officinam ſuam habuerit. LAGUILLE *Hiſt. d'Alſ. Part. I. L. XXIX. p.* 333.

(*m*) Georgius Drizehenius in querela, contra Gutenbergium inſtituta, ait: *Do ſie bli und anders das darzu gehört; kaufft hettent.* Docum. p. 21.

in mandatis dediſſe, ut quatuor partes (*Stücke*) tollerentur e prelo, conjecturam nobis ſuggerit, librum, prelo tum ſubjectum, fuiſſe formæ, quæ dicitur *quarta*.

VII. Primitiæ typographicæ in a. 1436. incidunt. Dunnius enim, aurifaber, a. 1439. apud Judices falſus eſt, ſe jam ante triennium res ad Impreſſionem neceſſarias Gutenbergio ſuppeditaſſe. Illo ergo tempore, quo Andreas Drizehenius deceſſit, hoc eſt fine anni 1438. typographica ſculptarum literarum mobilium Gutenbergii officina Argentinæ jam libros impreſſit, ſed impreſſit occulte, ſine addito impreſſionis loco & anno. Poſt Andreæ Drizehenii mortem, inter Andream Heilmannum, Joh. Riffium atque Gutenbergium continuata ſocietas.

§. 14.

Gutenbergius Argentina diſcedit.

In Argentoratenſibus vectigalium indicibus a. 1442. *Henricus Eckſtein*, a. 1447. *Johannes Mentele*, ut infra (*n*) videbimus, jam occurrunt. Hi licet nonniſi vicennio poſt arte typographica Argentinæ inclaruerint, ex Gutenbergii tamen ſchola eos prodiiſſe, quis dubitet, cum ad annum uſque 1445. Argentinæ illum vixiſſe, non publica modo Cataſtra, ſed & ſcrinia D. Thomæ hujus urbis demonſtrent. Hæc enim duo nobis Inſtrumenta annorum 1441. & 1442. ſuppeditant, quibus Gutenbergius annuos reditus Capitulo Thomano conſtituit. (*o*) Conſtituti ſunt ex hereditate, quæ ei Moguntiæ ab avunculo Loheymero obvenerat. Documenta hæc, quæ conſtantem debita contrahendi neceſſitatem Gutenbergii produnt, animum ejus

(*n*) Cap. X.
(*o*) Documentor. Num. V. & VI.

Mogun-

Moguntiam redeundi non produnt. Anno 1444. Gutenbergius adhuc vectigal vini persolvit. At sequentibus in Rationali Gabellarum disparet; adeoque a. 1445. Argentina eum discessisse verisimile est. Caussa discessus ignota. Uxor deinceps sola in Rationali comparet. Gutenbergius reliquit hanc urbem, postquam per continuos quindecim annos eam inhabitasset. (*p*) Grande hoc vitæ Gutenbergianæ spatium, quod immortalitati eum adscripsit, ignoraverunt omnes, qui de Gutenbergio & typographicis originibus scripserunt, unde lerna errorum.

§. 15.

Argentinenses si quis forte accuset, quod Documenta hæc non prius in lucem protraxerint, ille Moguntinos hac in re diligentiores non extitisse intelligat. Instrumentum litis inter Gutenbergium & Faustum a. 1455. Moguntiæ conscriptum; Charta illa, qua Elector Adolphus a. 1465. Gutenbergium inter Aulicos suscepit; Reversales illæ denique literæ, Homerius quas dedit Adolpho a. 1468. quæ Moguntinis originibus typographicis quoque lumen accendunt, ante hos demum 30. annos non a Moguntinis, sed ab exteris, in lucem protractæ sunt. (*q*) Documenta hæc, nostris addita, certas quasdam Gutenbergianæ historiæ constituunt epochas, ad quarum normam, si examines Auctores, qui de typographiæ originibus scripserunt, nullum profecto vel ex præcipuis invenies, qui in narratione sua non admiserit aliquid falsi. **Argentinenses excusati.**

(*p*) Confer. §. 5.

(*q*) CHRISTIANUS JOANNIS in Tomo novo *Scriptorum Moguntin. p.* 424. posteriora duo documenta a. 1727. in lucem emisit. Primum a. 1734. in *Selectis Senckenbergianis* comparuit. Vid. infra *pag.* 29. *not.* (*k*).

§. 16.

Quodſi lite hac agitata, Senatus Argent. divinare potuiſſet, de arte, generi humano tantam utilitatem allatura, tum agi, in arcanum illud inquiſiturus fuiſſet, ſuis opibus promoviſſet: ille Senatus, qui tam generoſum renaſcentibus paulo poſt literis aſylum præbuit, ut alteras tum Athenas Argentoratum dixiſſes; ad quam undique literati certatim confluxerant: gloria, quam in Argentinenſibus laudavit Eraſmus; a Senatu & ipſe humaniſſime exceptus, ut *Alſatia Literata* docebit. Singulari ſane factum eſt fato, ut Civitas, typographiæ genetrix, renatarum quoque literarum mox evaderet mater. Gutenbergii arcanum occaſione hujus litis ſi in publicum evolaſſet, de inventæ typographiæ loco nemo unquam certaſſet. Quot fruſtraneis eruditi omnium fere nationum Viri ſuperſedisſent laboribus. Authenticis vero Actis nunc in lucem prodeuntibus, nemo in poſterum de Argentinenſibus pronuntiaturus eſt, quod nimis confidenter ad Documenta provocaverint. (*r*)

(*r*) Objecit hoc illis a. 1740. HENRICUS LACKMANNUS, Kilonienſis Profeſſor, in *Annalibus Typographicis*, eo tempore editis, Cap. I. ubi Virum doctiſſimum BURCARDUM MAJUM, Kiſonienſem quoque olim Profeſſorem, reprehendit, quod in ſcriptis ſuis, ubi de typographicæ artis origine quæſtio, in Argentinenſes nimium fuerit liberalis.

CAPUT III.

Typographia a Gutenbergio continuata & a Petro Schœffero perfecta Moguntiæ.

§. 1.

GUTENBERGIUS quo ſe contulerit, Argentorato diſcedens, nulli ſcriptores, nulla Acta nos docent. At circa a. 1450. artem ſuam, Argentinæ inventam, continuaturus Moguntiæ, cum Joh. Fauſto, cive Moguntino, typographicam ſocietatem inivit, ut ex Inſtrumento a. 1455. (*s*) apparet. Virtute contractus hujus Gutenbergio Fauſtus ſuppeditavit pecuniam; Gutenbergius in officinæ poſſeſſione permanſit, operaſque direxit. (*t*) Fauſtus ipſe in Contractu profeſſus eſt, Gutenbergio ſe ſuggeſſiſſe ſumtus, typographicum ut perficeret opus. (*u*) Officina ergo Gutenbergii propria fuit, & pro ſuppeditata pecunia Fauſto in pignus conceſſa. Gutenbergii ſocietas cum Fauſto.

(*s*) SCHWARZIUS jam a. 1449. ſocietatem initam fuiſſe, ex uſuris collegit, quas a Gutenbergio Fauſtus, Inſtrumento hoc teſte, petebat.

(*t*) HOFMANNUS in *Lexico Hiſt.* ſub artic. *Joh. Fauſtus*, rem invertit: Gutenbergio divitias, Fauſto paupertatem adſcribens.

(*u*) Helmaſpergeriani Inſtrumenti a. 1455. verba hæc ſunt: *Domit er* (Gutenberg) *das werck volnbringen ſolt.* Et paulo poſt: *daruff Johann Guttenberg geantwert hat, daſſ ym Johann Fuſt* 800. *gulden verlacht ſolt hain, mit ſolchem gelde er* (Johann Guttenberg) *ſin geczüge zurichten und machen ſolte.* Et mox: *doby wol zu verſteen ſy, das er* (Johann Guttenberg) *ſolch werck* (*der bücher*) *mit ſinem gelde, das er* (Fuſt) *ym uff ſin pfande gelichen hab, volnbrengen ſolt.*

§. 2.

Libri tum impreſſi.

Durante hac ſocietate ex Gutenbergiano Moguntiæ prelo aliquot libri prodierunt, ſed ſine temporis, loci, & artificis nota. Quodſi HADR. JUNIUM (x) audias, primus ibi fœtus a. 1442. literis mobilibus prodiit *Alexandri Galli Doctrinale*. (y) TRITHEMIUS (z) vero ex relatione Schœfferi ſcribit, primum Moguntinæ typographiæ fœtum eſſe *Catholicon*, (a) ſed typis fixis impreſſum, cui *Biblia* literis ſucceſſerint fuſis. At Schœfferianæ narrationis falſitatem Acta noſtra coarguunt. Gutenbergius, a. 1436. mobiles typos Argentorati tractare jam ſolitus, ad literas fixas poſt XIV. annos num rediturus fuiſſet?

Rectius ergo COLONIENSE CHRONICON (b) primum librum, a Gutenbergio Moguntiæ mobilibus literis impreſſum, *Biblia* fuiſſe memoravit. Libelli, Argentinæ ſine diei & loci nota impreſſi, jam diu vaſtum hoc præceſſerant opus. Codicem Bibliorum in Baronis Craſſierii, Nobilis Leodienſis, Bibliotheca a. 1731. conſpexi, quem referendum huc non ſine ratione exiſtimo. Typos inter ſe omnes fere diſſimiles, adeoque ſculptos, in eo inveni. Eadem litera modo tenuior vel craſſior, modo altior vel brevior; eadem char-

(x) *Batavia pag.* 257.
(y) Grammatica eſt, brevis verſibus ſcripta.
(z) *Chron. Hirſaug.* a. 1450.
(a) *Vocabularium* appellat TRITHEMIUS. Collegii Claromontani Bibliothecæ Codicem memorabilem *Catholicon*, qui a *Catholico* JANUENSIS, a. 1460. impreſſo, diverſus, exponit Illuſtris SALLIERIUS, Reg. Bibliothecæ Cuſtos, in *Commentar. is Acad. Reg. Inſcript. tom.* 14. *p.* 250.
(b) *Chronica van der hilliger ſtat von Cœllen*, a. 1499. impreſſa Coloniæ, *fol.* 312.

tarii insignia, bubulum nempe caput, quæ in sequentibus Fausti libris comparent, in Bibliis quoque Crasserianis occurrunt. Paginæ in duas sunt divisæ columnas. (*c*) NAUDÆUS, (*d*) KOELERUS (*e*) & MARCHANDUS (*f*) Biblia hæc cum illis, quæ Faustus a. 1462. literis fusis impressit, confundunt.

Gutenbergianos hos typos, sculptos ex ligno, Moguntiæ ab eo adhibitos, SERARIUS (*g*) & PAULUS PATER (*h*) in hac urbe viderunt, eosque ita describunt, uti Gutenbergianos Argentinenses descripsit SPECKLINUS. (*i*)

§. 3.

Vix per quinquennium hæc societas duraverat, cum de non solutis usuris Gutenbergio litem intenderet Faustus. Cecidit ille causa; atque occasione hac typographia a. 1455. in Fausti manus devenit. Conditum hac super re ab Helmaspergero, Notario Moguntiæ, Instrumentum, (*k*) quod

Societas rupta.

(*c*) SCHWARZIUS describit hæc biblia in *Indice novo librorum pag.* 28. Simile exemplum Uffenbachiana Bibliotheca continuit.
(*d*) *Additions à l'Hist. de Louis XI. pag.* 234.
(*e*) *Ehrenrettung Guttenbergs pag.* 96.
(*f*) *Dissert. sur l'Imprimerie pag.* 102.
(*g*) *Rer. Moguntin. Lib. I. c.* 37.
(*h*) *De Typographiâ pag.* 10.
(*i*) Conf. Cap. IV. §. 1.
(*k*) Instrumentum hoc a. 1455. scriptum idiomate German. d. 6. Nov. edidit primum Perillustris SENCKENBERGIUS *tom. I. Selector. pag.* 269. KOELERUS in *Guttenbergs Ehrenrettung pag.* 54. & SCHWARZIUS in *Primariis Docum. de Orig. typograph. Part. I. pag.* 5. Commentarium Instrumento addiderunt.

modo allegavimus, cui Petrus Schœfferus interfuit teſtis, qui in eo ſimpliciter *Petrus Gernsheim*, *Clericus* (*l*) dicitur. Ab hoc ruptæ ſocietatis tempore Schœfferum ſibi arctius Fauſtus adjunxit.

§. 4.

Petrus Schœfferus.

Schœfferus, latine ſcribentibus ſæpe dictus *Opilio*, Gernsheimenſis (*m*) origine, ſcriba librarius fuit. Hujus ordinis homines generico ſæpe nomine *Clerici* dicebantur, (*n*) qui in publicis ſcholis ſcribendo ſibi victum para-

(*l*) *Peter Gernsheim und Johannes Bonne Clericken Mentzer ſtatt und Biſtum.* Ipſe Notarius quoque ſe appellat *Clerick Bamberger Biſtums.*

(*m*) *Gernsheim* oppidum ad Rhenum, in Electoris Moguntini, non vero in Landgravii Haſſo-Darmſtadienſis ditione, ut ſcribit MARCHANDUS *Hiſt. de l'Imprim. pag.* 8.

(*n*) *Clericus* non modo Laïco opponebatur, ſed & peculiari ſignificatu *Actuarium*, *ſcribam amanuenſem* ſignificavit. Hoc ſenſu *Clerici Regis*, id eſt, Secretarii. Hodieque Galli ſcribas ſuos appellant *Clercs.* Schwarzius, proprio ſignificatui vocis inhærens, ſacerdotalis ordinis hominem eum fuiſſe exiſtimavit; duoſque adeo conſtituit Petros Schœfferos, illum, quem Fauſtus in Epigrammatis *Clericum* vocat, diſtinguens ab altero, quem *Puerum* appellat. At male diſtinguit. Fauſtus ad a. 1465. uſque eum *Clericum* dicit; dein *Puerum*, quod illo tempore ſtatum mutavit, ex ſcriba factus typographiæ operarius, ut Fauſto, qui filiam ei ſuam deſtinaverat, in officina ſuccederet. SCHWARZIUM vide in *Documentis* ſuis *de Orig. Typograph. Part. II. p.* 17. JOH. SCHOEFFERUS in Notitia, *Compendio Trithemiano* ſubjuncta Petrum Schœfferum Fauſti miniſtrum & filium adoptivum vocat, cui filiam dederit in matrimonium. TRITHEMIUS in *Annal. Hirſaug.* ad a. 1450. eundem Schœfferum *famulum*, poſtea *generum* Fauſti fuiſſe ſcribit.

runt; quod Lutetiæ quoque fecit Schœfferus. Librariis his ſucceſſere typographi. Chartaceum Bibliotheca Argentinenſis Academica Codicem ſervat, quem Schœfferus a. 1449. Lutetiæ ſua manu exaravit. (*o*) Inſcriptio, uncialibus literis calci libri adjecta, teſtis eſt, eum ex illa librariorum claſſe fuiſſe, qui dicebantur *Calligraphi*. Specimen hujus Codicis in *Documentis* produco. (*p*) Paucis poſt annis Moguntiam eum perveniſſe neceſſum eſt, quoniam Gutenbergii & Fauſti operas & conſilia juvit, antequam ſocietas eorum rupta fuiſſet, quod ex Epigraphe poëtica, *Inſtitutionibus Juris* a. 1468. a Petro Schœffero impreſſis adjecta, colligimus. (*q*) Id certum, quod officinam Gutenbergii, ad Fauſtum delatam, direxerit Schœfferus; Gutenbergius alter, qui calligraphus ſculptoribus literas ſculpendas præſcripſit.

§. 5.

Schœfferianæ ergo præſertim induſtriæ præſtantiſſimum illud PSALTERIUM Fauſti debetur, uncialibus literis ac capitalibus pulcherrime ſculptis (*r*) & variegatis colore, in Pſalterium Moguntinum.

(*o*) Codex ille, exaratus Lutetiæ, ex urbe hac Laudunenſi Monaſterio Fratrum Minorum, indeque, neſcio quo fato, Argentinæ illatus eſt.

(*p*) Tab. VIII. Annoto hic, primos typographos ex pictoribus, ſcribis, ſculptoribus proveniſſe, ob artium harum cum typographia affinitatem.

(*q*) Ubi Schœfferus de ſe ait: *Cum quibus* (Gutenbergio ſcilicet atque Fauſto) *optatum Petrus venit ad poliandrum.* Extant hi verſus apud SCHWARZIUM in *Primariis Documentis de Orig. Typograph. Part. III. pag.* 17.

(*r*) MORERIANUM *Lexicon*, voce *Imprimerie*, Pſalterii hujus literas pro fuſis habet, non pro ſculptis, adeoque aberrat a vero.

uſum Chori, forma folii majoris (*s*) Moguntiæ impreſſum, a. 1457. in Vigilia Aſſumptionis perfectum; Gutenbergianæ typographiæ, literis ſculptis exercitæ, & ad ſummum elegantiæ & perfectionis gradum a Schœffero perductæ, incomparabile monumentum; quod artifices, Lutetiæ & Vindobonæ mecum examinantes, mirati ſunt mecum. Miniatores in Codicibus ſcriptis literas initiales nonnunquam ita producebant, ut una ſola gyris & ductibus ſuis magnam marginis partem compleret. Ducentas octoginta octo hujus generis literas, ligno inſculptas, variiſque coloribus impreſſas in *Pſalterio* adhibuit Schœfferus. (*t*) Fauſtus vero, gloriæ cupidus, opus tam præſtans abſque nomine ſuo in publicum prodire noluerat, unde primus hic omnium liber eſt, artificis, loci & anni nota ſignatus.

(*s*) Maittairius *Annal. typogr. t. I. pag.* 35. & Prosper Marchandus *Hiſt. de l'Imprimerie pag.* 34. qui librum non viderant, eum quartæ formæ adſcribunt. Impreſſus eſt in uſum Chori, ut Cantores e longinquo textum legere poſſent, & ſpeciatim in uſum Chori Abbatiæ Benedictinæ D. Jacobi in Monte ſpecioſo Moguntiæ. In fine exempli a. 1459. legitur: *in laudem Dei ac honorem S. Jacobi.* In notitia exempli a. 1490. *ad laudem Dei & honorem S. Benedicti;* ut ipſa Codicum hujus monaſterii me inſpectio docuit.

(*t*) Plerique ſcriptores literarum capitalium, typis impreſſarum, uſum longe ſerius ponunt, quod Pſalterium non viderant; nec viderant Durandum, cujus in *Rationali* nonnullas quoque literas capitales partim rubro, partim cœruleo colore impreſſas deprehendi, cum Illuſtris Schwarzii exemplum Altorfii inſpicerem. Vide *Documenta* ejus de *Orig. Typogr. Part. II. pag.* 10.

§. 6.

§. 6.

Schœfferus, a Gutenbergio & Fauſto in artis tractatione ad literas penna deſignandas præſertim adhibitus, typorum ſculptilium incommoda ſentiens, excogitavit matrices, ex quibus metallici typi promptius, omneſque inter ſe funderentur æquales; unde mirus arti nitor & pulchritudo acceſſit. Epocha matricum in illo temporis ſpatio, quo Gutenbergii cum Fauſto ſocietas duravit, adeoque inter a. 1450. & 1455. ponenda eſt. Jo. Schoefferus, Petri filius, annum 1452. deſignaſſe videtur, quando in Notitia, *Chronico Trithemiano* (*u*) affixa, ſcribit, Fauſtum anno 1450. artem proprio ingenio excogitare cœpiſſe, at a. 1452. Petri Schœfferi perfeciſſe auxilio. Epocha matricum.

§. 7.

Guil. Durandi *Rationale divinorum officiorum*, quod a. 1459. ex Fauſti officina Moguntiæ prodiit, primus liber eſt, mobilibus typis fuſis impreſſus. Nova hæc literarum parandarum inventio, novam typographicæ artis conſtituens epocham, Moguntiæ & Schœffero ſolis debetur; ut epocha præcedens Argentinæ & Gutenbergio quoque ſolis tribuenda. Ambæ urbes id porro inter ſe habent commune, quod exterus in utraque invenit; Schœfferus Gernsheimenſis Moguntiæ, Gutenbergius Moguntinus Argentorati. Hic artis primitias dedit, ille artem perfecit. Libri typis fuſis impreſſi.

Sic Moguntia biennii ſpatio typographicæ literarum ſculptarum artis juventam, & fuſilium infantiam intra mœnia ſua conſpexit; ut ex inſtituta *Pſalterii* & *Rationalis Durandi*

(*u*) *Chronicon* impreſſum Moguntiæ a. 1515.

inter ſe comparatione apparet. Pſalterium magnis & teretibus, Rationale minutis & non ſatis elegantibus (*x*) impreſſum eſt typis; qui Romæ (*y*) mox & Venetiis (*z*) correcti. A. 1460. Jo. Baldi de Janua *Catholicon*, quod Lexicon etymologicum eſt, itidem Moguntiæ, ſed abſque nomine artificis; a. 1462. *Biblia Latina*, Fauſti & Schœfferi nominibus adjectis, prodierunt. (*a*) His Bengelius (*b*) *Biblia* quoque *Germanica*, ab iiſdem eodem anno edita, accenſet. At Notitia duplex, in fine non impreſſa, ſed manu exarata, antiquiſſimo cuidam Bibliorum Germanicorum exemplo a falſario addita eſt. (*c*) Uno

(*x*) Typus characteres manu exaratos imitatus eſt, ubi abbreviationes frequentes.

(*y*) Hanio, Pannarzio, Schweinhemio Germanis artem afferentibus Romam, Romani illam formam typis dederunt, quæ nomen *Romanæ* hodieque obtinet.

(*z*) Veneti circa a. 1469. nitido charactere jam uſi ſunt, Nic. Jenſonis Galli ingenio. Sed Gothicus ſucceſſit. Illius, quem *Italicum* dicunt, Aldus Manutius creditur inventor. Varias fuſilium typorum formas & nomina exponit Paulus Pater in Diſſertat. *de Arte Typograph.* Id porro obſervandum, ſcriptores antiquos & humaniorum literarum pleroſque literis Romanis; Theologicos & Juridicos literis Gothicis vel ſemi-Gothicis, primitus impreſſos fuiſſe, quem characterem corruptum lectuque difficilem, cum terete illo Romano introductum, ipſi quoque Itali, Galli, Germani aliquandiu ſecuti ſunt.

(*a*) Inſcriptiones, quas primis Codicibus, huc uſque recenſitis, in fine Fauſtus adjecit, Cap. VI. exponimus.

(*b*) In *Apparatu Crit. Novi Teſtam. Græci*, a ſe editi, *pag.* 641. 758. 783. & 838. Adde Widekindi *Verzeichnus von raren büchern*, *Part. III. pag.* 443.

(*c*) Una ex inſcriptionibus finalibus ſimilis eſt illi, quæ Bibliis annexa Latinis, ſed forma literarum diſſimilis, nec ſculpta, ſed ſcripta. Altera ſtylo quoque diverſo comparet. In una

eodemque tempore Fauſtus cur duo diverſi idiomatis Biblia ediditſet? Cur Latinis modo, non etiam Germanicis formulam conſuetam, typis impreſſam, adjecturus fuiſſet? Cur in ſola Wirtenbergenſis Conſiſtorii Bibliotheca tale exemplar occurrit?

§. 8.

Typographia evulgata.

Ceterum eo ipſo tempore, quo Biblia Latina ſua Fauſtus per orbem diffuderat, ars typographica quoque evolavit Moguntia. Argentina ſuas literas ſculptas, Moguntia ſuas fuſas huc uſque occultaverant. (*d*) Sed typographi ſodales, velut in ergaſtulo Moguntiæ habiti, urbe ab Adolpho Archiepiſcopo, Theodorici æmulo, d. 27. Octobris capta, diſperſi ad alias Europæ partes typographiam tranſtulerunt. Fauſti nepos ex filia, JOHANNES SCHOEFFERUS, in adjecta *Chronico Trithemiano* notitia rem his verbis exponit: "Retinuerunt autem hi duo jam prænomi„nati Joh. Fuſth & Petrus Schœffer hanc artem in ſecreto „(omnibus miniſtris ac familiaribus, ne illam quoquo

Petrus Schœfferus appellatur *Clericus*, in altera *Puer*. SCHWARZIUS in *Primariis Documentis de Orig. Typograph. Part. II. pag.* 15. errat, quod brevem modo inſcriptionem Bibliis his additam ſcribit: *Johan Fuſt, Moguntinus Civis A. MCCCCLXII. effecit.* Pro una duplex addita eſt, ſed manu exarata.

(*d*) GEBVILERUS in *Panegyri Carolin. fol.* 19. primæ edit. ait: „Ipſi quidem vidimus ſyngraphum Joannis Mentellin & Hen„rici Eckſtein, Argentinenſium civium, ſuper certis pactis, „quibus alter alteri ſeſe eo tempore obligaverit, cauſa occul„tius hanc impreſſoriam artem inter ſe primum exercendi, „quæ nimirum quotidiano uſu novis adinventionibus clarior „reddita eſt. „ PANTALEON de *Viris Illuſtr. Part. II. pag.* 397. ait: primos typographos ita celaſſe artem, ut litteras in ſacculis clauſis ſecum in officinam ferrent.

„ modo manifeſtarent, jurejurando adſtrictis) quo tan-
„ dem de anno Dom. MCCCCLXII. per eoſdem fami-
„ liares in diverſas terrarum provincias divulgata haud
„ parvum ſumſit incrementum. " Codices impreſſos pro libris manu exaratis quum caro pretio venderent, lucri cupido primos Argentinenſes & Moguntinos typographos induxit, ut artem, quam diu poſſent, celarent. Gloriæ cupiditas denique impulit Fauſtum, ut in libris impreſſis primus novæ artis faceret mentionem. Argentinenſes Gutenbergio ante Fauſtum ſociati, Fauſto modeſtiores, ex gloria, Gutenbergio debita, ſibi nihil arrogarunt; unde altum apud eos de inventione typographiæ ſilentium. Gutenbergii, extra Argentinam tum viventis, erat, thraſonem illum glorioſum reprimere Fauſtum. (*e*)

(*e*) Monſtroſa Italici ſcriptoris relatio Pamphilum Caſtaldum, Nobilem Feltrinenſem, artis typographicæ inventorem conſtituit, a quo eam didicerit Fauſtus. Ita ſane ANTONIUS DEL CORNO in libro, cui tit. *Memorie Hiſtoriche di Feltri.* Vid. *Journal des Sçavans*, menſe Octobr. a. 1712. pag. 470.

CAPUT IV.

Typographia literarum ſculptarum a Gutenbergii ſociis continuata & perfecta Argentorati.

§. 1.

GUTENBERGIANI ergo Argentinates ſocii, principe artis circa a. 1445. profecto, typographiam ſuam conſtanter & intrepide continuarunt. Heilmannus, ex primis reſiduus, (*f*) Mentelium & Eggeſteinium ſocios habuiſſe videtur. WIMPHELINGIUS (*g*) Gutenbergio ſucceſſorem dat Mentelium, Mentelio Ruſchium, Ruſchio Flaccum cum affine ejus Matthia Schurerio. Gutenbergianorum typorum reliquias Argentinæ adhuc vidit DANIEL SPECKLINUS, Architectonicæ rei apud Argentinenſes præfectus, (*b*) Geographica Alſatiæ

Continuatores Typographiæ Argentorati.

(*f*) Riffius, Scultetus in Lichtenau, abſens non tractaverat artem; ſed tantum participavit de lucro. Lichtenau, oppidulum cum caſtro deſtructo, caput eſt præfecturæ trans Rhenum, quæ olim ad Lichtenbergenſes Alſatiæ Dynaſtas ſpectabat. Sex leucis diſtat Argentorato.

(*g*) *Epit. Rer. Germ. Cap.* 65. *Chronica Summorum Pontificum & Imperatorum*, a. 1476. Romæ excuſa, jam ad a. 1458. ſcribit: "Joannes Mentelinus apud Argentinam, ejuſdem Provinciæ (Moguntinæ) civitatem, in eodem artificio (imprimendarum literarum) peritus, totidem chartas (trecentas) per diem imprimere agnoſcitur." MAITTAIRE *Annal. typogr. tom. I. pag.* 365.

(*b*) Verba ejus in *Excerptis MSS.* quæ in Tabulario Argent. extant, hæc ſunt: *Die Buchſtaben waren von Holtz geſchnitten, auch gantze Wœrter und Syllaben; hatten nebentzu löchlin,*

tabula concinnata percelebris, qui a. 1589. deceſſit. Typos hos ille deſcribit ſuperne perforatos, ut nempe ſinguli trajecto funiculo in lineam continuam, lineæ in paginam continuam poſſent conſtringi, atque deinceps ad imprimendum ſubjici prelo. Particulæ & ſyllabæ, quæ ſæpius occurrunt, compendii cauſa, non ſolutiles fuerunt, ſed junctim exſculptæ. (*i*)

§. 2.

Libri ab iis impreſſi.

Literarum forma a deſignatoris & ſculptoris dexteritate pendebat. Illæ ab initio informes & ſcabræ libros male comptos produxerunt, quibus alia, quam Argentoratus, patria aſſignari non potelt. Primæ ergo Argentinenſium typographiæ omnes illos vindicamus libellos, in quibus literæ ſunt pingues, rudes, craſſa ſculptæ minerva, quarum nulla ſuæ ſociæ æqualis, ſed una modo tenuior, craſſior, modo longior, brevior, modo rotundior altera, ita ut eidem non infuſas matrici, ſed ſingulatim ſculptas fuiſſe, facillime appareat. In libellis his lineæ longiores raro rectæ, plerumque ſunt curvæ. Linearum compages elegantia ſymmetrica caret; atramentum librarium pallet; (*k*) nulli paginarum ſunt numeri: nulli ſunt duerniones, terniones, quaterniones chartarum, alphabeticis ſignis, *ſignaturam* quam vocant, diſtincti. Indoles hæc eſt libellorum, qui

daſſ mans mit einem Drat oder ſtarcken faden kondte zuſammen faſſen. So war die Preſs auch hultzin und wie ein Trott, damit man allerhand Saft austrottet, formirt. Verba hæc quoque lege apud SCHRAGIUM *von Erfind. der Buchdruckerei Cap.* 9. & apud SCHILTER. in *not. ad Kœnigsh. p.* 442.

(*i*) PROSPER MARCHANDUS hujus indolis typographiam cur admittere nolit, non equidem video.

(*k*) CANEPARIUS de *Atramentis L. IV. c.* 3. *& ſeq.*

ex prima typographiæ Argentinenſis fabrica prodierunt; incunabulorum artis certiſſimi teſtes.

§. 3.

Rari ſunt hujus generis rudes libelli, obſcuris illis temporibus minore numero impreſſi; & ſuccedentibus pulcrioribus typis, neglecti. Longa tamen inquiſitione in noſtros denique oculos inciderunt Recenſio Codicum.

GESTA CHRISTI, XI. foliorum quartæ formæ libellus; columnis binis impreſſus.

SOLILOQUIUM HUGONIS. (*l*)

DE MISSA liber, qui XXVIII. foliorum eſt. (*m*)

DE JUDÆORUM ET CHRISTIANORUM COMMUNIONE liber fol. minoris. (*n*)

HENRICI DE HASSIA Expoſitio ſuper Dominicam Orationem XV. foliis per columellas impreſſa.

CONSUETUDINES FEUDORUM, fol. ubi prima verba typis miniatis excuſa his verbis: *Incipiunt conſuetudines feudorum* &c. (*o*)

(*l*) Ex duobus his libellis ſpecimina dedi inter Documenta, Tab. II.

(*m*) Reperitur in Bibliotheca Academiæ Argent. Volumini Codicum MSS. inſertus.

(*n*) Extat in Bibliotheca Commendæ S. Johannis Argentinæ.

(*o*) Hunc apud CHR. GOTTH. SCHWARZIUM, Profeſſorem Altorfinum, inſpexi. Conf. ejus *Index Librorum ſec. XV. p.* 96. & *Index novus p.* 31.

Digitized by Google

PSALTERIUM LATINUM, form. duodec.

§. 4.

Codex a. 1448.

In his typographicæ artis primitiis loci impreſſionis, artificis, temporiſque indicia fruſtra quæruntur. At ſimilis Codex, annum impreſſionis præ ſe ferens, in meam denique Bibliothecam devenit, in hoc genere unicus, cujus Titulus: LIBER DE MISERIA HUMANE CONDICIONIS LOTARII DYACONI SANCTORUM SERGI ET BACHI CARDINALIS QUI POSTEA INNOCENTIUS TERCIUS APPELLATUS EST. ANNO DOMINI MCCCCXLVIII. Opuſculum foliis XLVIII. conſtans, formæ in 4to. (*p*) Innocentius III. a. 1216. jam obiit. Annus ergo rubricæ inſertus nonniſi ad impreſſionis tempus poteſt referri. Typographicum ſphalma non ſine gravi ratione imputandum eſt libro.

§. 5.

Dialogi Gregorii Papæ.

Typographicis Argentinenſium cimeliis accenſendi eſſent DIALOGI GREGORII PAPÆ, genuina ſi foret epigraphe, calci ejus rubro colore adjecta, his verbis: " Preſens hoc opus factum eſt per Johann. Guttenbergium „ apud Argentinam Anno Milleſimo CCCCLVIII." PALMERIUS, ſcriptor Britannus, (*pp*) librum hunc Bibliothecæ Pembrockianæ adſcribit. Perluſtravi eam Londini a. 1728. adeoque quinquennio antequam opus ſuum edidiſſet Palmerius. Principes ejus libros, ipſo Maittairio conſtantiſſimo comite, non ſemel inſpexi; ſed *Dialogi* (*q*) a Gutenber-

(*p*) Vid. Tab. I. Document.

(*pp*) *General Hiſtory of Printing* &c. London 1733. 4to. vid. *pag.* 299.

(*q*) Ejuſdem Gregorii Papæ *Regula Paſtoralis*, ſine anno & artificis

tenbergio, ut Palmerius vult, impreſſi, meos oculos fugerunt. Librum tamen hunc Pembrockiæ Comes atque Maittairius, antiquitatum typographicarum peritiſſimi, literato Argentinenſi præ omnibus oſtenſuri fuiſſent. Itaque liber hic vel tum pro ſpurio jam habitus fuit atque neglectus, vel ſi poſt hoc tempus Bibliothecæ Pembrockianæ acceſſit, non minus eſt ſpurius; cui impoſtor, & imperitus quidem, rubrum adjecit. Gutenbergius jam a. 1450. ſocietatem Moguntiæ cum Fauſto inierat, Argentina relicta, ad quam inſecutis temporibus eum rediiſſe, non conſtat. (r) Nec Gutenbergianæ hujus Inſcriptionis ſtylus finalibus illis formulis, quæ tum adhiberi cœperunt, reſpondet. Adde, quod nullus adhuc in literario orbe viſus ſit liber, qui ex Gutenbergii typographia prodiiſſe ſe prodat. Inter a. 1457. quo *Pſalterium* & a. 1459. quo *Rationale Durandi* a Fauſto impreſſa ſunt, nullus anni nota ſignatus nec Moguntiæ, nec Argentinæ codex lucem aſpexit. Argentinæ porro ante a. 1471. nullus prodiit liber, qui typographum, annum impreſſionis & locum typis expreſſos delignet. (s) Adde denique, quod præter Palmerium nemo codicem hunc Gutenbergianum recenſeat. (t)

ficis nota impreſſa, in Regia Bibliotheca Lutetiæ extat, cui aliquis annum 1459. & hæc verba: *Tentamentum Fauſti* adſcripſit, ſed male.

(r) Vid. Cap. III. §. 3.

(s) Vid. §. 8. hujus Capitis.

(t) MAITTAIRIUS, qui raros Pembrockianæ Bibliothecæ Codices tam diligenter in ſuis Annalibus recenſet, rariſſimum omnium cur omiſſurus fuiſſet.

§. 6.

Biblia Lat. Mentelii. Mentelius quidem a. 1466. *Biblia Latina* majoris folii impreſſit; ſed temporis & impreſſoris notitiam non ipſe typis expreſſit, ſed Calligraphus, literas capitales & rubricas totius libri quum coloribus ſcriberet, (*u*) calci ejus rubro hæc ſubjecit colore: "Explicit liber iſte Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto formatus arte impreſſoria per venerabilem virum Johannem Mentell in Argentina." Specimen, ex authentico curate depictum, quod Documentis (*x*) adjunxi, *Biblia* hæc literis ſculptis impreſſa fuiſſe, aperte demonſtrat. (*y*)

(*u*) Scribæ hujus claſſis *Illuminatores*, *Miniculatores* & *Miniatores* dicti ſunt.

(*x*) Tab. III.

(*y*) Programma ſeculare a. 1740. cum ſcriberem, notitiam hanc typis impreſſam fuiſſe credideram, SCHWARZII fide in *Indice novo libror. pag.* 27. perſuaſus; ſed ab eo tempore meliora edoctus ſum. Unicum hujus Codicis, quod huc uſque novimus, exemplum extat in Bibliotheca Conſiſtorii Stutgardiæ. Notitiam ejus vide apud Widekindum, *Verzeichnus von raren büchern*, *Part.* 3. *p.* 450. Mentionem ejus quoque facit BENGELIUS in *Apparatu Crit. ad Nov. Teſt. pag.* 758. & 838. ex quo PROSPER MARCHAND *Hiſt. de l'Imprim. pag.* 55. Mentelianus hic Codex primitus ad Monaſterium D. Margarethæ Argentinenſe pertinuit. Cum autem a. 1478. Ulricus, Wirtenbergenſis Comes, Joh. Pruſerum, Dominicanorum Stutgardienſium Lectorem, in Alſatiam miſiſſet, ut ſorores Regulæ S. Dominici ex Alſatia adduceret, hic decem ſorores ex Monaſterio S. Margarethæ ſecum abduxit. Occaſione hac Codex Stutgardiam migraſſe videtur, ubi tempore mutatorum Sacrorum ex monaſterio Dominicanorum in Bibliothecam Conſiſtorii tranſivit.

Digitized by Google

Ad eundem annum 1466. refertur quoque liber a Gruningero typographo impreſſus, cujus rubrum: "Biblia „ aurea cum ſuis hiſtoriis nec non exemplis veteris & novi „ Teſtamenti, impreſſa per Magiſtrum Johannem Gruninger MCCCCLXVI. 4to. (z) Auctor libri ANTONIUS DE RAMPIGOLLIS, Monachus Genuenſis, qui Concilio Conſtantienſi interfuit.

PROSPER MARCHANDUS (a) vidiſſe ſe dicit codicem, hoc titulo ornatum; qui illi merito ſuſpectus eſt. Nullus enim Gruningeri liber, ante a. 1483. impreſſus, occurrit.

§. 7.

Poſt Biblia Mentelii, anno 1468. alius *Bibliorum* latinorum Argentorati impreſſus eſt codex, qui ſimiliter duabus columnis, duobuſque voluminibus formæ majoris ex *Henrici Eggeſteinii* prelo prodiit; ſine die & conſule. Sed Miniarii manus, in fine Pſalterii, quod primum claudit volumen, hæc addidit: "Explicit Pſalterium &c. per Ma„ giſtrum Heinricum Eggeſtein Anno LXVIII." (b) Biblia Eggeſteinii.

A. 1469. Mentelius ASTEXANI (c) *Summam de Caſibus*, ſine Aſtexanus Mentelii.

(z) Codex, qui in Bibliotheca Hohendorfiana, in Cæſaream deinceps tranſlata, extitit, annum 1465. præ ſe fert. vide *Catalogum Hohendorf. Part. 2. pag. 1.*

(a) *Dictionnaire Hiſtorique pag.* 289. CLEMENT *Bibliotheque hiſtorique tom.* 4.

(b) Vid. Tab. V. Docum. Extat codex rariſſimus in Bibliotheca Commendæ S. Johannis Hieroſol. Argentorati.

(c) Aſtexanus vel Aſteſanus, ab oppido *Aſti* Pedemontii, ſeculo XIV. ſcripſit *ſummam de Caſibus conſcientiæ*, quæ *Aſteſana* vocatur. Minorita fuit, atque circa a. 1330. deceſſit.

adjecta loci & temporis nota impreſſit. Miniator annum 1469. adlevit. (*d*)

§. 8.

Gratianus Eggeſteinii.

Primus liber Argentinæ impreſſus, cui typographi nomen, locus impreſſionis & annus adjecti ſunt typis, ex Henr. Eggeſteinii prelo a. 1471. prodiit, nempe *Gratiani Decretum*, duobus maximæ formæ voluminibus, literis ſculptis impreſſum; quod notabilis typorum inter ſe diſſimilitudo teſtatur. In fine voluminis, ſtylo ex Rubricis finalibus Moguntinis deſumto, hæc legimus: "Preſens » Gratiani Decretum una cum Apparatu Bartho. Brixienſis » in ſuis diſtinctionibus, cauſis, & conſecrationibus bene » viſum & correctum artificioſa adinvencionis (*ſic*) impri- » mendi abſque ulla calami exaratione ſic effigiatum & ad » laudem omnipotentis Dei eſt conſummatum per venera- » bilem virum Heinricum Eggeſtein artium liberalium » Magiſtrum civem inclite civitatis Argentin. Anno Dni » MCCCCLXXI. fol." Characteres majuſculi, pulchri, ſed gothicæ formæ ſunt. (*e*)

Quæ cauſa typographos Argentinenſes induxerit, ut

(*d*) Vid. Tab. IV. Docum. Signum Chartarii, quod in Aſtexani Menteliani & Bibliorum Eggeſteinii chartis comparet, exſculptum appono:

(*e*) Memorat hanc editionem Caille *Hiſt. de l'Imprimerie pag.* 19. Chevillier *Origine de l'Imprimerie de Paris pag.* 104. Extat codex hic in eadem Bibliotheca Commendæ. Eggeſteinius inter primos charactere Gothico uſus eſt. Semigothico uſi ſunt Fauſtus & Schœfferus. Veneti corruperant eum, paſſimque ſecuti ſunt reliqui Itali, Galli, Germani, donec poſt ſec. XVI. medium fuit abolitus.

nonniſi quatuordecim poſt annos (*f*) Moguntinorum ſequerentur exemplum, libriſque ſuis notitias typographicas adderent, inferius oſtendam.

§. 9.

Eodem a. 1471. idem Eggeſteinius edidit *Clementinas*, ſive Clementis V. Conſtitutiones, folio quoque majore, in quarum fine: Clementinæ ejuſd.

" Hic Clementis quinti Conſtitutionum liber una cum
» apparatu famoſiſſimi juris Doc. domini Jo. An. ſuis ru-
» bricationibus belliſſime diſtinctus per venerabilem Philo-
» ſophiæ Magiſtrum ac etiam inclite Argentinenſis civitatis
» civem bene meritum dominum Heinricum Eggeſteyn
» hujus artis peritiſſimum, ut innumera antehac divini hu-
» manique juris per ipſum teſtantur volumina ſumma cum
» maturitate ac diligentia impreſſus eſt Anno Domini
» MCCCCLXXI. XI. Kal. Decembris. " (*g*)

Clementinas has poſt Decretum excuſas fuiſſe, indicat dies XI. Kal. Dec. quo annus vergebat ad finem.

§. 10.

A. 1472. ex ejuſdem Eggeſteinii prelo prodierunt *Ciceronis Officia* in 4to. cum hac inſcriptione: Ciceronis officia.

" Preſens Marci Tullii clariſſimum opus arte quadam

(*f*) Nempe poſt Fauſti Pſalterium a. 1457. impreſſum, ubi prima notitia. Vid. Cap. III. §. 5.

(*g*) Extat liber in Bibliotheca Commendæ S. Joh. Hieroſol. Argentinæ.

„ perpulcra per venerabilem Philoſophie Magiſtrum ac et-
„ iam inclite Argentin. Civitatis civem Dom. Heinricum
„ Eggeſteyn ſumma cum diligentia impreſſum eſt, Anno
„ Dom. MCCCCLXXII." (*b*)

Editio hæc ex Fauſtianis a. 1465. & 1466. expreſſa eſt, ſed literis ſculptis.

§. II.

Inſtitutiones Juſtiniani.

Eodem a. 1472. Eggeſteinius typis quoque ſculptis in lucem edidit *Juſtiniani Inſtitutiones*, quibus adjunctæ *Conſtitutiones feudales* fol. cum hoc rubro in fine:

"Hic feudorum uſus liber una cum apparatu ſuis rubri-
„ cationibus peroptime diſtinctus per venerabilem Philoſo-
„ phie Magiſtrum ac inclyte Argentinenſis Civitatis civem
„ bene meritum Dom. Heinricum Eggeſteyn artis impreſ-
„ ſorie peritiſſimum ſumma cum diligentia ac maturitate
„ impreſſus Anno MCCCCLXXII. XVII. Kal. Octobr." (*i*)

Ex Eggeſteinianis his libris nonnullos poſſedit Schwarzius, de quibus ita loquitur: (*k*)

(*b*) Vid. Tab. VI. Docum. Extat in Bibliotheca Commendæ S. Johannis, Argentorati. Ciceronis Officia a. 1466. Moguntiæ edita primum typographicæ artis ſpecimen putavit THEOD. ZWINGER *Theatr. Vitæ hum. Vol. XX. Lib. I. pag.* 3629.

(*i*) *Juſtiniani* Inſtitutiones a. 1468. ediderat Petrus Schœfferus, Fauſto jam mortuo. Fallitur ergo LUDEWIGIUS in *Vita Juſtiniani pag.* 24. ubi ſcribit: primam *Inſtitutionum Juſtinian.* editionem eſſe Romanam anni 1476. falſam quoque ſubjungens rationem, quod Germania noluerit prelo committere librum, in Germaniæ foris nondum receptum.

(*k*) In *Programmate Weiſſiano* a. 1735. n. 3.

" Licet etiam hic Altorfii intueri libros quoſdam, ab
» Henrico illo Eckſteinio, Argentorati impreſſos, in qui-
» bus eo facilius typorum ex ligno ſculptorum veſtigia ap-
» parent, quo minus vel unius literæ typi, ſi vel tricies in
» una pagina occurrant, ex omni parte ſibi tam æquales,
» quam quidem fuſi typi, videantur. "

§. 12.

Ceterum uti primus liber ligneis literis, loci, temporis & typographi nota conſpicuus, Argentorati impreſſus, fuit *Decretum Gratiani*, qui a. 1471. lucem aſpexit, ita primus literis fuſis Argentorati impreſſus, fuit VINCENTII BELLOVACENSIS *Speculum Hiſtoriale*, quod a. 1473. quatuor maximæ chartæ voluminibus ex Joh. Mentelii typographia exivit; quam tamen alia, literis ſculptis & inæqualibus, ſine anno & loco impreſſionis ac ſine typographi nomine, præceſſit editio. (*l*) Mentelius nimirum homo dives, impenſis in literas fuſas faciendis par, iteratam operis, tum avide quæſiti, impreſſionem expedivit, & ſuum denique nomen, locum impreſſionis, annumque poſteriori adjecit. In fine operis enim hæc legitur inſcriptio: Vincentii ſpeculum lit. fuſis.

" Explicit Speculum Hiſtoriale fratris Vincencii ordinis
» Predicatorum impreſſum per Johannem Mentellin anno
» Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tercio
» quarta die decembris. "

Operis tam vaſti impreſſio labor fuit plurium annorum. Neſcio, qui factum, ut *Lexici Hiſtorici Baſilienſis* Concinnatores, viri certe doctiſſimi, aſſeruerint, nunquam viſum

(*l*) Hanc in Bibliotheca mea aſſervo.

fuiſſe librum, in quo Mentelius ejus dicatur impreſſor. (*m*) Non enim *Speculum Hiſtoriale* modo, ſed & *Morale*, (*n*) *Phyſicum* & *Doctrinale* Mentelii typographiam annuntiant. Vaſtum hoc decem maximæ formæ voluminum opus, a. 1476. terminatum, quale nec Moguntina, nec ulla Argentinenſis ab eo tempore officina typographica produxit, Menteliano nomini gloriam conciliavit & opes. (*o*)

§. 13.

Alia literis ſculptis.

Henr. Eggeſteinius tamen, Jeorius Huſnerus, Cephaleus Wolphius, (*p*) libros literis ſculptis continuarunt imprimere. BERTHORII *Reductorium morale* a. 1474. per *C. W.* id eſt, Cephaleum Wolphium;

RODERICI ZAMORENSIS *Speculum* a. 1475. per Martinum Flach;

(*m*) In voce *Gutenberg*. Menteliana hæc Speculi editio in ipſa Bibliotheca publica Baſileæ ſervatur. Iidem Auctores metachroniſmo peccant, quando literas fuſas a. 1474. ab Argentinenſibus demum adhibitas fuiſſe ſcribunt. Aliquot volumina jam a. 1473. comparuerunt, literis fuſis impreſſa.

(*n*) *Speculum morale* a. 1476. impreſſum, hanc in fine habet epigraphen: " Impreſſum in inclyta urbe Argentinenſium ac nitide „ terſe emendateque refectum per honorandum Dnm Dnm Jo„ hannem Mentelin artis impreſſorie magiſtrum famoſiſſimum. „ Anno a partu virginis ſalutifero milleſimo quadringenteſimo „ ſeptuageſimo ſexto die menſis novembris nona.

(*o*) Mentelium brevi factum eſſe opulentiſſimum, WIMPHELINGIUS teſtatur in *Epit. Rer. Germ. Cap.* 65.

(*p*) Vulgo *Wolfgang Koepfel.*

NIDE-

NIDERI *Præceptorium divinæ legis* a. 1476. per Jeorium Huſner, omnes folii majoris libri typis ſculptis excuſi ſunt. Hos inter tamen Eggeſteiniani typi magnitudine & forma eminuerunt; ipſis quoque Mentelianis ſculptis præſtantiores.

§. 14.

Henricus Knoblochzerus a. 1478. *Proceſſum Judiciarium Belial* foliis formæ majoris Argentorati excudit, addita inſcriptione, quæ librum æneis literis concinnatum fatetur, his verbis: " Proceſſus judiciarius Belial intitulatus de lati- „ no in vulgarem ſtilum mirifice tranſlatus... finit. Quem „ *ereis* figuris Heinricus Knoblotzer in Ceſarea urbe Argen- „ tine feliciter atque digniſſime perfecit a. 1478. in die Egi- „ dii. " (*q*) Æneæ hæ quidem literæ fuerunt, ſed ſculptæ, quia inæquales. Sub Gruningero autem, Pruſſio, Schotto ſolæ denique literæ fuſæ obtinuerunt. Tranſitus a ſculptis ad fuſas cum fieret, utraque ſubinde ſpecies ſimul adhibita eſt; quod in libris nonnullis, inter a. 1470. & 1480. impreſſis, obſervavi. Typi ænei.

§. 15.

Gutenbergianam ergo imprimendi formam per quinque luſtra Argentinenſes continuarunt, poſtquam Moguntini jam literis uſi ſunt fuſis. Quin & Schœfferiana cum Gutenbergiana aliquandiu Argentinæ ſimul exercita fuit. Naſcitur hinc canon: Libri literis ſculptis, rudibus & ſcabris, ſine anni, loci & artificis indicio impreſſi, ex Argentinen- Conſectaria.

(*q*) Liber hic & præcedentes extant quoque in Bibliotheca Commendæ S. Johannis Hieroſol. Argentorati.

ſium prelo maximam partem prodierunt. Ceterum per omnem fere ſeculi XV. decurſum Fauſti & Schœfferi officina Moguntiæ fere viguit ſola, (*r*) & ad Johannem Schœfferum, Petri filium, tranſivit, quum eodem intervallo plurimæ Argentorati typographiæ hanc artem urgerent, ut infra oſtendam. (*s*)

Eggeſteinius, Huſnerus, de ſculptura typorum plus ceteris ſolliciti, Gutenbergianam artem eo denique perduxerant, ut dubius ſubinde hæſerim, fuſis an ſculptis literis vere ſint uſi. Summum ergo beneficium literis mobilibus ſculptis attulit Gutenbergius orbi, qui fuſilibus literis potuiſſet carere, ſculptiſque ſolis artes atque ſcientias non minus ac fuſis propagare.

(*r*) ORLANDI *Origine e Progreſſi della ſtampa p.* 14. nonniſi unam officinam præter Schœfferianam memorat.
(*s*) Cap. X.

CAPUT V.

Fabuloſa Argentinenſium de originibus typographicis traditio.

§. 1.

ARS, paucos inter ſocios lento cum ſucceſſu inventa, & per quinque fere luſtra in occulto exercita, (*t*) poſteritatem de auctore & tempore ſi reddit incertam, nemo forte mirabitur. Gutenbergio Argentinæ ſi nulla cum ſociis, nulla Moguntiæ cum Fauſto fuiſſet diſcordia, typographicæ origines in perpetua obſcuritate manſiſſent. At teſtes litium occaſione producti; ſententiæ a Senatu & arbitris latæ, inſtrumentis condendis occaſionem dederunt, in quibus vera originum memoria ſervatur. Regiſtra, in quibus acta perſcribuntur Senatus, in arctiore cuſtodia ſunt. Ars, Argentinæ primum duo per luſtra, atque Moguntiæ deinceps per tria deliteſcens, quum a. 1462. denique evolaſſet in orbem, non potuit non variis rumoribus apud populares exteroſque agitari. Gutenbergius, qui nonniſi a. 1468. deceſſit, veritatem facile aperire potuiſſet, ſed tacuit conſtanter, de fallaciis Fauſti nunquam, quod mireris, conqueſtus. Tacente Gutenbergio, qui hæc Moguntiæ audivit & vidit, tacuerunt quoque Argentinenſes. Inter hæc primi Argentinenſes ſocii, rei geſtæ gnari, perierunt. Gutenbergii Argentorato Moguntiam reditus; Gensfleiſchii & Gutenbergii in duos homines diviſio; urbium, ubi Gu-

Cauſæ errorum.

(*t*) Vid. Cap. III. §. 8.

tenbergius natus eſt; & ubi artem invenit, diverſitas; literarum fuſilium & ſculptarum confuſio; non incertas tantum, ſed fabuloſas quoque hujus artis origines reddiderunt. Res variis per ora hominum volavit ſermonibus, quibus plerumque aliquid veri & aliquid falſi commixtum.

§. 2.

Wimphelingii ſphalmata.

Factum hinc, ut WIMPHELINGIUS, Vir alias amantiſſimus veri, qui a. 1451. Seleſtadii natus, Argentinam adoleſcens appulit, ex qua Gutenbergius vix ante quatuor luſtra exierat; in qua Mentelii & Eggeſteinii tum prela ferbuerant; ut Wimphelingius hic, inquam, origines has primus noſtrûm deſcribens, jam deflexerit a vero. Actorum ille Senatus & D. Thomæ ignarus, ad vulgares traditiones confugiens, tribus in libris, ubi de originibus typographicis loquitur, eas male expoſuit; addendo aliquid vel omittendo erroneus. In *Epigrammate*, quod a. 1499. in laudem Gensfleiſchii, quem *Anſicarum* vocat, compoſuit, typographiam æneis typis ab eo exercitam prædicat; (*u*) ligneos typos, Argentorati ab eo prius inventos, omittens.

Scripſit hæc extra Alſatiam verſatus. In *Epitoma Rerum Germanicarum*, Thomæ Wolphio a. 1502. dedicata, diſtinctius ait: (*x*) "Anno Chriſti 1440. Friderico III. Rom. „ Imp. regnante, magnum quoddam ac pene divinum bene-

(*u*) „ Felix Anſicare per te Germania felix
„ Omnibus in terris præmia laudis habet.
„ Urbe Moguntina, divino fulte Joannes
„ Ingenio; primus imprimis ære notas.
Extat hoc Epigramma in fine *Memoriæ* MARSILII AB INGHEN, editæ Heidelbergæ a. 1499. in 4to.

(*x*) Cap. 65. apud SCHARD. *Script. Rer. Germ. Tom. I. p.* 179.

„ ficium collatum eſt univerſo terrarum orbi a Joanne Gu-
„ tenberg, Argentinenſi, novo ſcribendi genere reperto. Is
„ enim primus artem impreſſoriam, quam latiniores ex-
„ cuſoriam vocant, in urbe Argentinenſi invenit. Inde
„ Moguntiam veniens eandem feliciter complevit. " (y)
Bene hæc Wimphelingius, in anno tamen inventionis, ut & in eo deceptus, quod Gutenbergium Argentinenſem conſtituit.

§. 3.

At in *Epiſcoporum Argentinenſium Catalogo*, a. 1508. ſcripto, circumſtantias rei additurus, in avia plane dilabitur: (z) Alii errores.
„ Sub hoc Roberto (Epiſcopo Argent.) nobilis ars impreſ-
„ ſoria inventa fuit a quodam Argentinenſi, licet incom-
„ plete, ſed cum is Maguntiam deſcenderet ad alios, in
„ hac arte inveſtiganda ſimiliter laborantes, ductu cujuſ-
„ dam Joannis Genſzfleiſch, ex ſenio cœci, in domo Boni-
„ montis Gutenberg, in qua hodie collegium eſt Juriſta-
„ rum, ea ars completa & conſummata fuit. "

Multiplex in loco hoc Wimphelingii error.

1. Inventoris nomen reticet, cum in Epitoma Gutenbergium nominarit.

2. Inventorem anonymum appellat Argentinenſem.

(y) Brevius rem expreſſit in *Germania cis Rhenum*, quam Senatui Argentinenſi a. 1501. dedicavit, ubi pag. 43. ſimpliciter: „ Urbs veſtra plurimum excellere videtur impreſſoriæ artis „ origine, licet in Moguntiaco conſummatæ.

(z) *Vita Roberti Epiſcopi.*

3. Moguntiæ eodem tempore, quo ars Argentorati inventa, Gensfleiſchium in eadem inveſtiganda laboraſſe perſcribit.

4. Gensfleiſchium ex ſenio cœcum fuiſſe ait, quum in vegeta ætate Argentinam reliquerit, viginti poſt annos inter Aulicos Electoris receptus.

5. Gensfleiſchium a Gutenbergio diſtinguit.

Scilicet quo magis ad circumſtantias rei Wimphelingius deſcendit, eo magis in errores delapſus eſt; in eo tantum ſibi ſemper conſtans, Argentinenſem Argentinæ artem reperiſſe.

De Mentelio autem hæc modo tradit:

„ Interea Joannes Mentel, id opificii genus inceptans, „ multa volumina caſtigate ac polite Argentinæ imprimen„ do factus eſt brevi opulentiſſimus.

§. 4.

Gebvileri. HIERONYMUS GEBVILERUS, ſcholæ Seleſtadienſis, dein Hagenoenſis Rector, a. 1473. natus, Gutenbergio præterito, inventorem typographiæ primus in ſcenam produxit Mentelium. In *Panegyri* enim, Carolo V. Imp. a. 1521. dedicata, (*a*) ita locutus eſt: " Joannes Mentell „ non infimum locum (inter præclaræ indolis homines) „ obtinet, ob calcographandi, ſeu ſtaneis calamis excu-

(*a*) Impreſſa eſt Argentinæ 4to. vid. fol. 19. *a*. Recuſa a. 1641. Gebvilerus eadem repetiit in Commentariis MSS. de *Ortu Comitum Habsburg*. Lib. V.

„ dendi libros artem, quam primus ante ſeptuaginta & „ quatuor annos in hac urbe mortalibus adinvenit; etſi Mo- „ guntiaci cuidam Joanni Fuſt civi ſuo id acceptum ferant." Perverſe hæc Gebvilerus, typographiæ infantiam omnino ignorans; ſtanneorum modo typorum gnarus, quos apud heredes Mentelii viderat; inſcius ligneorum, quos Specklinus, a. 1589. mortuus, Argentinæ conſpexit. Idem in anno inventionis artis graviter errat. Calculus enim ejus incidit in a. 1447. (*b*) quo Gutenbergius jam Argentina diſceſſerat.

Gebvileri narrata tamen Wimphelingii ex ſorore nepos ſecutus eſt JAC. SPIEGELIUS, qui Maximiliano, Carolo V. & Ferdinando a conſiliis & epiſtolis fuit. Is enim in Commentario ad BARTHOLINI *Auſtriadem*(*c*) hæc annotat:

„ Inſigniter autem divina illa impreſſoria ars, Argentorati „ primum per Joannem Mentel, Schotti noſtri avum, (*d*) „ a. 1444. inventa, (Germanos in ære tractando præſtare) „ teſtatur.

Gebvilerus ergo triplicis accuſandus erroris. 1) Gutenbergio tribuenda Mentelio tribuit. 2) Inventioni artis annum 1447. aſſignat. 3) Ligneas omnino literas ignorat. Patet hinc, Gutenbergii memoriam, Gebvileri ætate,

(*b*) Panegyrin ſuam ſcripſit Gebvilerus a. 1521. dicitque artem ante 74. annos a Mentelio Argentinæ inventam, qui calculus ad a. 1447. ducit.

(*c*) Lib. IX. pag. 241. editionis Joh. Schotti, quæ a. 1531. in fol. prodiit Argentorati, quæ princeps impreſſio eſt. *Auſtrias* hæc Bellum Noricum ſive Bavaricum, a. 1504. a Maximiliano I. Imp. geſtum, heroico Carmine Libris XII. deſcribit.

(*d*) De Schotto hoc infra Cap. X.

Digitized by Google

apud Argentinenſes jam refriguiſſe, quanquam ille per XV. annos in urbe hac tranſegerat civis.

§. 5.

Hedionis & Herzogii.

Cautior Gebvilero GASPAR HEDIO fuit, qui *Paralipomena* ad Conradum Urſperg. Argentinæ, ſub Caroli V. initia, ſcribens verbotenus ea repetit, quæ in *Rerum Germanicarum Epitoma* Wimphelingius ſcripſerat. BERNHARDUS HERZOGIUS (*e*) artis inventionem Argentinæ, & quidem Gutenbergio ſoli attribuit, ſed tamen adjutorem & Gensfleiſchium & Joh. Fauſtum adjungit, quorum conſilio & cum quibus Moguntiam migraverit.

§. 6.

Chronici Argent. MS.

Anonymum Argentoratenſe Chronicon, Specklini temporibus Germanice ſcriptum, in publicis Argentorati ſcriniis ſervatum, fabuloſum illud denique contexuit trama, cujus ſumma huc redit: A. 1440. Nic. Schanlittio tertium Coſ. Walthero Spiegelio, Burcardo Mullenhemio, Cunone Treubelio, Johanne Balthaſare ab Endingen, Prætoribus, typographia inventa eſt Argentorati per Joh. Mentelin, cujus domus pro inſignibus *Vivarium* habet. Hic famulo ſuo, Joh. Gensfleiſchio, Moguntino, ſagacis ingenii homini, cum arcana artis communicaſſet, ut in ea perficienda ab eo juvaretur, deceptus eſt turpiter. Gensfleiſchius enim Joh. Gutenbergio, homini diviti, cui aliquid de Mentelii arte innotuerat, prodidit arcana. Quum autem Argentinæ ars non exerceri potuiſſet, Mentelio præſente, ſpe lucri inducti migrarunt Moguntiam. Nemeſis divina perfidum Gensfleiſchium cœcitate punivit.

(*e*) *Chron. Alſat.* in præfat. init. & Lib. 2. pag. 127.

Hic

Hic idoneus ille teſtis eſt, cujus auctoritatem SCHRAGIUS, (*f*) SCHMIDIUS, (*g*) BOECLERUS, (*h*) SCHILTERUS, (*i*) ARTOPOEUS, (*k*) aliique ſcriptores Alſatici bona fide ſecuti ſunt. (*l*) Forma & indoles ſtyli Germanici ſcriptorem ſeculi XVI. facillime prodit, (*m*) qui cum Wimphelingii, Gutenbergium ſemper inventorem prædi-

(*f*) *Von Erfindung der Buchdruckerey.* Hic ADAMUS SCHRAGIUS, Reip. Argent. Advocatus, alium librum contra Mallinkrotium ſcripturus erat Latino ſermone, ut ipſe in fine libri fatetur.

(*g*) JOH. SCHMIDIUS, Theol. D. & Prof. Argent. in Concionibus feſto typograph. habitis a. 1640.

(*h*) In *Orat. ſeculari de Typographia*, a. 1640. quoque dicta.

(*i*) In *Obſervat. ad Kœnigshov. pag.* 444.

(*k*) *Commentar. ad Schraderi Tabb. pag.* 462.

(*l*) His accenſendus eſt JAC. MENTELIUS, Caſtro-Theodoricianus, Medicus Pariſinus, qui inſtinctu Gabr. Naudæi contra Mallinkrotium a. 1650. *Paræneſin de vera Typographiæ origine* ſcripſit Pariſiis, ut Joh. Mentelii gloriam vindicaret. Idem jam a. 1644. *Brevem Excurſum de loco, tempore & Authore inventionis Typographiæ ad Naudæum* Pariſiis ediderat. GASPARUS BERNEGGERUS, Matthiæ filius, Mentelio huic variarum rerum notitiam Argentorato tranſmiſit; ſed tritam popularium ſuorum viam ſecutus. Mentelii liber caute legendus. Continet plura lectu digna, at plenus quoque errorum, invectivarum & vanæ gloriæ eſt. Pag. 15. *Paræneſeos* falſum commiſit, in verſu hoc:

Plura licet ſummæ dederis tu *Argentina* laudi.

In exemplari, quod in Sorbonæ Bibliotheca ſervatur, non Argentina, ſed *Alemannia*, legitur. Vid. MAITTAIRE *Annal. Typogr. tom. I. pag.* 27. CHEVILLIER *Orig. de l'Imprim. pag.* 52.

(*m*) Probat hoc TENZELIUS *von Erfindung der Buchdrucker-Kunſt, pag.* 62.

cantis & Mentelium ei poſtponentis, auctoritate haud quaquam comparandus.

§. 7.

Bœcleri. Bœclerus tamen Anonymi, privata tantum fide ſcribentis, Chronicon, Tabulario Civitatis illatum, publicis Reipublicæ Commentariis æquiparat. Audiamus Bœclerum: " Ex his (Chronici, quæ protulimus, verbis) habemus auctorem inventi nobiliſſimi; habemus tempus & locum; habemus primam & furtivam demigrationem artis; qua effectum eſt, ut ſtatim circa initia Moguntinorum Civitas & nomen operis typographicis inclareſceret. Habemus hæc & plura, inquam, non ex vago & veteri rumore, non ex ambitioſi ſcriptoris ingenio & luſu; non ex fallacibus aut ambiguis inſcriptionibus, ſed ex ipſis Reipublicæ noſtræ Commentariis & Inſtrumentis, quorum nec auctoritas detrectari a modeſto homine, nec ſimplicitas ſuſpectari a bono, nec perſpicuitas declinari a ſano poteſt.

Ita graviſſimi Argentinenſium per duo ſecula ſuperiora ſcriptores typographiæ inventorem proclamarunt Mentelium.

Gutenbergius & Gensfleiſchius pro diverſis ſunt habiti. Hic auctor, ille particeps furti accuſatur.

Gensfleiſchius famulus Mentelio domino, artis inventori, Argentinæ furto abſtulit artem, eamque Gutenbergio Argentinæ quoque detexit; ambo migrarunt Moguntiam, artemque, furto ablatam, ibi excoluerunt. Eadem fere cum Anonymo hoc retulit DANIEL SPECKLINUS. (*n*)

(*n*) *Chron. MS. Argentin.* apud SCHILTER. *ad Kœnigshov.*

§. 8.

Bilem hæc excitaſſe Kœlero, ut *Vindicias Gutenbergii* contra Argentinenſes a. 1740. conſcriberet, non equidem miror. Verum & Salmutho, Mallinkrotio, aliiſque cauſæ Moguntinæ patronis dicam ſcribere debuiſſet, quippe qui Gutenbergium multo apertius furti inſimulant. Equidem neſcio, qui factum, ut Argentinenſes, Moguntini, Batavi atque Britanni, originum typographicarum mentionem cum faciunt, ſemper fabuloſi quid de furto admiſceant. De Fauſto a Batavis furti accuſato; de emiſſario Anglo, qui typographiæ arcanum Gutenbergio Harlemi aſtute ſurripiens, illud ad Britannos tranſtulerit, infra diſſeritur. Epicriſis.

Typographiæ autem inventio ut adſcriberetur Mentelio, non una res dedit occaſionem. Gutenbergio diſcedente, præcipuus artis magiſter cum fuiſſet Mentelius, eamque Argentinæ perfeciſſet, uti Gutenbergius & Schœfferus eam perfecerunt Moguntiæ, magnaſque inde opes pararet, non mirum eſt, Argentinenſes in eum præſentem oculos fixiſſe, artiſque proclamaſſe auctorem; fama conſtanter tradente, artem Argentorati fuiſſe inventam. Quin & inventi ſunt Literati, qui Joh. Mentelium & Joh. Gutenbergium pro uno eodemque homine ſumendum eſſe ſtatuerunt; Gutenbergii agnomen Mentelio acceſſiſſe credentes, poſtquam Argentina relicta migraſſet Moguntiam. (o)

pag. 442. Anonymus Chronici ſcriptor atque Specklinus videntur fuiſſe æquales.

(o) *Lexicon Hiſtor. Baſil.* in voce *Gutenberg.* Christianus Lesser in *Typographia Jubilante pag.* 38. Fauſtum quoque eundem cum Gensfleiſchio fuiſſe credidit, qui cum Gutenbergio fuit idem.

§. 9.

Fabula de Fauſto.

Receptus denique error eſt, a BESOLDO, (*p*) NAUDÆO, (*q*) CAILLIO, (*r*) HOFMANNO, (*s*) STRUVIO, (*t*) MARCHANDO, (*u*) aliiſque pluribus admiſſus, Fauſtum Lutetia, ubi Biblia ſua, a. 1462. impreſſa, vendiderat, redeuntem, veniſſe Argentinam, ibique typographicam artem docuiſſe Mentelium. Primus traditionis hujus narrator eſt Henricus Schorus, Belga, Surburgenſis in Alſatia Collegiatæ (*x*) Præpoſitus, vir alias fide dignus, qui eam Argentorati in ædibus Michaëlis Theureri Joh. Walchio retulit. WALCHIUS eam *Decadi* ſuæ *Fabularum* inſeruit. (*y*) Refert nimirum Walchius, Fauſtum multa Bibliorum exempla inæquali admodum pretio cum vendidiſſet Lutetiæ, emptores, qui carius emerant, ei intendiſſe litem, atque redeuntem in patriam quoque pertinaciter perſequi continuaſſe; quos ut evitaret, Argentinam fugiſſe, ibique artem docuiſſe Mentelium. Equidem nec Lutetienſe Fauſti iter, nec exempla Bibliorum inæqualiter ibi vendita, nec Fauſti Argentinam adventum in dubium vocaturus ſum, ſed ſi advenit, eo artis magiſtro non eguit

(*p*) *Diſſert. de Typographia.*
(*q*) *Addition à l'Hiſt. de Louis XI. edit. Lenglet. pag.* 332.
(*r*) *Hiſt. de l'Imprimerie pag.* 12.
(*s*) *Lexic. Hiſtor.* voce *Jo. Fauſtus.*
(*t*) *Introduct. ad Hiſt. liter. pag.* 924.
(*u*) *Hiſt. de l'Imprimerie Num. V. pag.* 26. *ſq.*
(*x*) Quæ a. 1738. Hagenoam tranſlata.
(*y*) Fab. IX. *pag.* 182. *Decas* hæc Argentinæ a. 1609. impreſſa in 4to. Marchandus narrationem admittit, ſed dubitat, num Fauſtus artem tum adhuc occultam Mentelio manifeſtaturus fuiſſet. Itaque Argentinenſe iter Fauſti ad aliud tempus rejiciendum eſſe putat.

Digitized by Google

Mentelius, Gutenbergianæ artis jam tum gnarus & continuator induſtrius. (z)

(z) Quæ autem de Fauſto, ob typorum inter ſe ſimilitudinem, in Bibliis deprehenſam, magiæ Pariſiis accuſato, CAILLIUS ſcribit in *Hiſt. de l'Imprim. pag.* 12. ficulnea ſunt. Cur opus erat Parlamenti ſententia, ut a magia Fauſtus abſolveretur, quum Bibliis ipſe ſuis adjecerit notitiam, quæ *artificioſa adinventione imprimendi ſeu caracterizandi abſque calami exaracione* librum compoſitum fuiſſe annuntiat. Fauſtum illum præſtigiatorem, de quo drama ridiculum extat, qui cum Fauſto typographo confundunt, excipiendi ſunt riſu. Confutavit eos BIERLING de *Pyrrhoniſmo hiſtorico*, atque oſtendit, præſtigiatorem hujus nominis ſec. XV. in Wirtenbergico Ducatu vixiſſe, qui cum Moguntino nihil habuit commune. Conf. STRUVII *Bibliotheca Antiqua a.* 1706. *pag.* 232. *ſqq.* Secundum Lutetienſe iter Fauſtus a. 1466. ſuſcepit. Viſum eſt mihi in publica Genevenſium Bibliotheca Officiorum Ciceronis a. 1466. impreſſum exemplar, in cujus fine hæc verba, manu adlita, leguntur: "Hic liber pertinet michi Ludovico „ de la Vernade Militi, Cancellario Domini mei Ducis Bor„ bonii & Alvernie, ac Præſidenti Parlamenti lingue Occita„ nie, quem dedit michi Jo. Fuſt ſupradictus Pariſiis, in „ menſe Julii, anno Domini MCCCCLXVI. me tunc exi„ ſtente Pariſiis pro generali reformatione totius Francorum „ Regni." *Officia Ciceronis* a. 1465. & 1466. adeoque bis ex Fauſti prelo prodierunt. Eodem a. 1466. peſtis afflixit Lutetiam, qua menſe Aug. & Sept. 40. millia hominum perierunt. Lues hæc Fauſtum abſtuliſſe videtur. Poſt hæc enim ſolus ubique Schœfferus in libris, Moguntiæ impreſſis, occurrit. Ita biennio ante Gutenbergium, duodecennio ante Mentelium, Fauſtus deceſſit.

CAPUT VI.

Fallaces Fauſti Inſcriptiones.

§. 1.

Fallaciæ Fauſti.

SUPEREST, ut ſpecioſum & validum contra Argentinenſes telum retundamus, quod ex Inſcriptionibus petitur, quæ primis libris, a Fauſto impreſſis, adjectæ, typographiæ inventæ gloriam Fauſto & Schœffero, adeoque Moguntiæ tribuere videntur. Specioſas illas eſſe epigraphes, non equidem diffiteor. Quodſi tamen eas inſpicias propius, ſinonii profecto ingenii partus ſunt, ab homine callido & alienæ laudis invido excogitatæ; qui artis repertorem, Gutenbergio vivo, ſe jactare non auſus, Moguntiam inventricem jactavit, ut veteratoria hac arte lectores incautos deciperet. Ex omnibus mala Fauſti fides elucet. Poſtquam enim Gutenbergius ea, quæ ab a. 1436. per novennium Argentinæ egerat, in patriam redux circa a. 1450. Fauſto manifeſtaſſet, ibique ſocius artem cum eo per quinquennium tractaſſet, uti ex lite a. 1455. inter eos judicata elucet, Fauſtus in *Pſalterio*, duobus poſt litem annis in publicum edito, ubi prima anni, loci impreſſionis & typographi mentio, ut jam dictum, occurrit, nullam Gutenbergii, ſocii nuper ſui, & certiſſimi typorum mobilium, quibus liber impreſſus eſt, inventoris fecit mentionem; tantum laudi ſuæ detrahi arbitratus, quantum Gutenbergianæ accederet.

§. 2.

Notitia Pſalterio a. 1457. typis miniatis ſubjuncta, quæ omnium prima eſt, ita ſe habet: „ Preſens Spalmorum „ (ſic) Codex.... adinventione artificioſa imprimendi ac „ caracterizandi abſque calami ulla exaracione ſic effigiatus „ & ad euſebiam Dei induſtrie eſt conſummatus per Johan- „ nem Fuſt civem Moguntinum & Petrum Schoiffer de „ Gernsheim Anno Dni milleſimo CCCCLVII. in vigilia „ Aſſumpcionis." Librum non calamo exaratum, ſed artificioſa adinventione caracterizandi effigiatum & conſummatum eſſe, Fauſtus declarat, at inventorem artis nec ſe, nec Petrum Schœfferum pronuntiat. Biennio poſt ſecunda hujus Pſalterii editio ab iiſdem facta eſt, in cujus ſubjecta notitia Petrus Schoiffer de Gernsheim dicitur *Clericus.* (*a*) In Pſalterio.

§. 3.

A. 1459. præter ſecundam Pſalterii editionem, prodiit GUIL. DURANDI *Rationale Officiorum divinorum*, in cujus calce hæc verba rubro quoque colore impreſſa leguntur: In Durandi Rationale.

„ Preſens Racionalis divinorum Codex officiorum ve- „ nuſtate capitalium decoratus rubricationibus diſtinctus „ artificioſa adinventione imprimendi ac caracterizandi abſ-

(*a*) Uterque codex deſcriptus eſt in *Commentariis Regiæ Inſcript. Academiæ T. XIV. p.* 254. a CLAUDIO DE BOZE, elegantis doctrinæ Viro, haud ita pridem defuncto, cujus Bibliotheca principum editionum delectu nulli conceſſit. Præter duas has editiones tertiam, Moguntinam quoque, anni 1490. poſſedit Bozeus; omnes omnibus per Galliam, Italiam, Angliam Bibliothecis ignotas. Conf. ſupra Cap. III. §. 5.

Digitized by Google

„ que calami exaratione ſic effigiatus & ad euſebiam Dei „ induſtrie eſt conſummatus per Johannem Fuſt civem „ Moguntinum & Petrum Gernſsheim Clericum dioceſſ. „ ejuſdem. Anno Dni Milleſimo quadringenteſimo quin- „ quageſimo nono. Sex. die Octobris. "

Similis formula in *Conſtitutionibus Clementinis* a. 1460. occurrit. In nulla earum Fauſtus inventoris ſibi vindicat laudem; civis Moguntini contentus elogio.

§. 4.

In Januenſis Catholico.

At in JANUENSIS *Catholico*, quod eodem anno 1460. impreſſum eſt, prima Moguntiæ, ut urbis inventricis, memoria, ſuppreſſis artificum nominibus, occurrit. En epigrammatis verba: " Altiſſimi præſidio, cujus nutu in- „ fantium lingue fiunt diſerte, quique numero ſepe par- „ vulis revelat, quod ſapientibus celat. Hic liber egregius „ Catholicon Dom. incarnat. a. MCCCCLX. alma in urbe „ Moguntina nacionis inclyte Germanice quam Dei cle- „ mentia tam alto ingenii lumine donoque gratuito ceteris „ terrarum nacionibus preferre illuſtrareque dignatus eſt, „ (*b*) non calami ſtyli aut pennæ ſuffragio, ſed mira pa- „ tronarum formarumque (*c*) concordia proportione ac „ modulo impreſſus atque confectus eſt. " Epigraphe hæc omnium prima Moguntiam inventricem conſtituit, ſed nomina Fauſti Schœfferique omittit. Nec inſignia eorum,

(*b*) Ita ſane in Notitia *Catholici*, pro *dignata eſt*, legitur.

(*c*) *Patronam* vocant typum prominentem, chalybi inſculptum, qui imprimitur modulo, cui infunditur metallum, ut literæ inde metallicæ prodeant. Galli patronas & formas interpretantur *Poinçons* & *Matrices*.

ut

ut in prioribus, ſubſignata ſunt. Catholicon hoc ex proprio Gutenbergii prelo prodiiſſe, quod poſt litem cum Fauſto ſolus inſtauraſſe videtur, arbitratus eſt SCHWARZIUS. (*d*) Conjectura hæc Schwarzii ſi vera eſt, ſuboritur quæſtio, cur Gutenbergius nomen ſuum non addiderit libro, ex officina ſua prodeunti, falſæ Fauſti gloriæ ut ſe tandem opponeret?

§. 5.

In Bibliis Latinis.

Quidquid de *Catholico* ſit, in Bibliis Latinis, quæ anno 1462. prodierunt, (*e*) Fauſti nomen denuo comparet, ita tamen, ut nec in eis inventorem artis ſe profiteri ſit auſus; eam Moguntiæ repertam, libroſque a ſe impreſſos eſſe, annotare contentus. Ait enim: " Preſens hoc opuſculum " (*f*) adinventione artificioſa imprimendi & caracterizandi " abſque calami exaracione in civitate Moguntina ſic effi- " giatum.... per Jo. Fuſt civem & Petrum Schoiffher de " Gernzheym clericum dioceſ. ejuſdem eſt conſummatum " anno Dom. MCCCCLXII. &c. "

§. 6.

Epicriſis.

Alius quivis Moguntinus typographus, ex artis inventione nihil ſibi arrogans, ambigua hac formula uti potuiſſet. Catholicon Januenſis ex Fauſtiano ſi prelo proceſſit, Moguntiæ *inventricis* Fauſtus in eo mentionem injecit, quod lectores ita ratiocinaturos eſſe, facile præviderat: ſi

(*d*) Diſſert. de *Orig. typographiæ Part.* 1. *pag.* 12.
(*e*) Supra Cap. III. §. 7.
(*f*) *Opuſculum* vocatur a Fauſto duorum grandioris formæ voluminum liber.

Moguntia typographiæ prima inventrix eſt; ſi Fauſtus typographica nova arte primus impreſſit, Fauſtus dicendus eſt typographiæ inventor. Nec ſpes profecto deceptorem decepit.

Fauſtum, civem Moguntinum, & Schœfferum artificioſa inventione imprimendi hos libros perfeciſſe, non contrarium eſt vero. Fauſtus, nihil falſi profeſſus, vera, quæ non reticere debuerat, malitioſe reticuit; ſilentio ſuo poſteros, quod intenderat, in errorem inducens. Ex formulis tamen his palmarium contra Argentinenſes argumentum producitur.

§. 7.

Fauſti iniquitas in Schœfferum.

Sed nec Schœffero, ſodali, dein genero ſuo, Fauſtus debitam laudem adſcripſit; eum nunc *Clericum*, nunc *Puerum* ſuum, nunquam inventorem appellans. (*g*) In fine *Officiorum Ciceronis*, a. 1465. & 1466. editorum, Fauſtus ait: *Petri manu pueri mei feliciter effeci.* Ingenio & inventione dicere debuiſſet, non *manu*. Manifeſtum invidiæ documentum. Schœfferus, Fauſti ſtipendio vivens, muſſitare non auſus eſt. Gutenbergius laudem ſibi debitam vindicare potuiſſet, ſed id facere neglexit. Eo autem ſilente, cur Argentinenſes clamaſſent?

§. 8.

Petri Schœfferi iniquitas.

Neque vero poſt Fauſti deceſſum in epigraphis ſuis in Gutenbergium æquior fuit Petrus Schœfferus; mortuo ſocero ſolus typographiam exercens. Hic enim in THOMÆ

(*g*) Vide ſupra Cap. III. §. 4.

AQUINATIS ſecunda editione, quam a. 1467. in lucem emiſit, inventæ typographiæ laudem Moguntiæ ſimiliter tribuit, Gutenbergio nihil. Eandem formulam in *Conſtitutionibus Clementinis*, eodem anno impreſſis, repetiit. At in JUSTINIANI *Inſtitutionibus*, quas a. 1468. forma majore edidit, adjecit verſus quoſdam de originibus artis, ubi Gutenbergium prænomine indicat, atque in eandem cum Fauſto collocat claſſem; ſibi præ utroque gloriam inventæ artis adſcribens. Ita enim:

„ Quos genuit ambos Urbs Moguntina *Johannes*,
„ Librorum inſignes prothocaragmaticos.
„ Cum quibus optatum *Petrus* venit ad polyandrum
„ Curſu poſterior, introëundo prior.
„ Quippe quibus præſtat ſculpendi lege ſagitus
„ A ſolo dante lumen & ingenium. " (*b*)

Per ambos *Johannes* Gutenbergius & Fauſtus deſignantur; vocantur *prothocaragmatici*, quod primi libros excuſerunt. At Petrus Schœfferus, licet ordine poſtremus ad opus accedens, artis penetralia tamen, ſecundum hos verſus, primus intravit. Allegoria ad Johannem & Petrum Apoſtolos alludit, qui ad Chriſti ſepulcrum ita feſtinarunt, ut poſtremus adveniens Petrus tamen primus intrarit. (*i*)

(*b*) Iidem verſus repetiti in earundem Inſtitutionum editione a. 1473. quæ ſola SCHELHORNIO innotuit, *Amœnit. liter. Tom. 4. p.* 301.

(*i*) SCHELHORNIUS *ibid. p.* 305. *Polyandri* nomine hominem quendam deſignari exiſtimavit, quum ſepulcretum denotet. " Quis ſub Polyandri nomine lateat, ſi me edocueris, „ eris mihi magnus Apollo, " inquit Schelhornius, in eo quo-

Patet hinc, Petrum Schœfferum, ſuæ ut velificaretur gloriæ, illum typographiæ declaraſſe auctorem, qui literas fuſas invenit; qua hypotheſi Gutenbergius & Argentina excluduntur.

§. 9.

Teſtimonium ejus de Gutenbergio.

Idem tamen Schœfferus in narratione, de typographiæ initiis, quam ex ore ejus deſcripſit TRITHEMIUS, (*k*) omnem ejus inventæ laudem Gutenbergio tribuit. Scribit enim: "His temporibus in Civitate Moguntina ... inventa & excogitata eſt ars illa mirabilis & prius inaudita imprimendi & caracterizandi libros per Jo. Gutenberger Civem Moguntinum, qui cum omnem pene ſubſtantiam ſuam pro inventione hujus artis expoſuiſſet, & nimia difficultate laborans jam in iſto, jam in alio deficeret, jamque prope eſſet, ut deſperatus negotium intermitteret, conſilio tandem & impenſis Jo. Fuſt, æque Civis Moguntini rem perfecit inceptam." &c. Gutenbergius diſtincte auctor artis ex relatione Schœfferi a Trithemio appellatur; at in libris, a ſe impreſſis, de Gutenbergio ſiluit omnino Schœfferus; in ſermone, quam in libris, ſincerior.

---

que deceptus, quod *Amœnit. tom. I. p.* 5. Petro Schœffero mobilium literarum inventionem adſcripſit. Commentarium ad hos verſus dedit SCHWARZIUS de *Orig. typogr. Part.* 3. *pag.* 19.

(*k*) *Chron. Hirſaug.* ad a. 1450. ubi narrat rem, prout eam ante 30. annos ab ipſo Schœffero, quem *Opilionem* vocat, audiverat. Eadem, ſed brevius, leguntur in *Chron. Spanheim.* ad eund. annum.

§. 10.

Johannes Schœfferus, Petri filius, qui in typographia Moguntina patri ſucceſſit, memorabile quoque malæ fidei in Gutenbergium reliquit exemplum. Livium enim, in Germanicum idioma tranſlatum, & Moguntiæ a. 1505. a ſe impreſſum, Maximiliano Cæſari dedicans, aperte profitetur, Joh. Gutenbergium a. 1450. typographiam Moguntiæ inveniſſe, atque perfeciſſe ſumtibus & opera Joh. Fauſti & Petri Schœfferi. (*l*) At decennio poſt, in epigraphe, *Compendio Chronicorum* TRITHEMII adjecta, inventæ typographiæ hiſtoriam fuſe exponens, Gutenbergium præterit: Fauſtum vero *primarium artis auctorem* appellat, qui a. 1450. eam *proprio ingenio excogitare* cœperit. (*m*) Quis crederet, eum, qui Maximiliano Imp. Livium dedicavit, hæc ſcribere potuiſſe? Quæ in dedicatione, Germanice ſcripta, expoſuit Cæſari, ea in libro Latino, ad omnes nationes tranſituro, poſt decennium reticuit. Jo. Schœfferi inconſtantia.

(*l*) *In welicher ſtadt (Mentz) auch anfengklich die wunderbare kunſt der Trückerey, und im erſten von dem kunſtreichen Johan Güttenbergk, do man zalt nach Chriſti unſers heren gebürth tauſent vierhunderth und funffzig Jare erfunden, und darnach mit vleyß, koſt und arbeyt Johan Fauſten und Peter Schöffers zu Mentz gebeßerth und beſtendig gemacht iſt worden.*

(*m*) " Impreſſum..eſt..opus a. 1515..in nobili famoſaque urbe
„ Moguntina, hujus Artis impreſſoriæ inventrice prima, per
„ Jo. Schœffer, nepotem quondam honeſti viri Jo. Fuſth,
„ civis Moguntini, memorate artis primarii auctoris, qui tan-
„ dem imprimendi artem proprio ingenio excogitare ſpecula-
„ rique cœpit A. MCCCCL. ...deduxitque eam in opus im-
„ primendi, opera tamen & multis neceſſariis adinventionibus
„ Petri Schœffer de Gernsheim, miniſtri ſuique filii adoptivi.

§. 11.

Fraudis eventus.

Notitiæ ergo, quas in calce librorum ſuorum Fauſtus & Schœfferi dederunt, fraudis ſunt plenæ, atque ita compoſitæ, ut lectores incautos facile decipiant. Homines ambigui, fallaces, veritatem nunc diſſimulant, nunc profitentur, nunc torquent. Ceterum non primus ego Fauſti atque Schœfferorum aſtutiam in lucem produco. SCHWARZIUS (*n*) & KOELERUS (*o*) occaſione litis Fauſtianæ cum Gutenbergio, & ante hos ducentos annos ARNOLDUS BERGELLANUS (*p*) eam jam abunde probarunt. Artibus tamen ſuis, ut & artibus generi atque nepotis, obtinuit Fauſtus, ut Aventinus, Cario vel Melanchthon, Apianus, Stumpfius, Opmeerus, Pantaleon, Friſchlinus, Salmuthus aliique, quos magno numero recenſet SCRIVERIUS, (*q*) eum pro inventore typographiæ haberent; quod peculiari quoque libro probare MALLINKROTIUS (*r*) ſtuduit. At in actione forenſi, a Fauſto contra Gutenbergium, a. 1455. inſtituta, hujus rei nihil ſibi arrogaverat Fauſtus; tantum repetens pecuniam, quam Gutenbergio mutuam dederat, ut typographiam continuaret; quæ propter hoc debitum Fauſto oppignerata fuit.

(*n*) In *Documentis de Origine typographiæ pag.* 22.

(*o*) *Ehrenrettung Gutenbergs pag.* 22. *ſqq.* ubi dolos & perfidiam Fauſti in Gutenbergium perſtringit.

(*p*) In *Poëmate de Chalcographiæ inventione*, a. 1541. edito. Fuit in typographia Moguntina Corrector.

(*q*) *Laurea Coſteri pag.* 59.

(*r*) *De Origine typographiæ Cap. XI. pag.* 73. Jo. Frid. Fauſtus Aſchaffenburgenſis, ex Fauſti noſtri fratre deſcendens, ſuo quoque Gentili inventionem, quod non mirum, adſcribit. Fauſti junioris notitiam dedit KOELERUS in *vita Gutenberg. pag.* 91.

Digitized by Google

Poſtquam autem Gutenbergius in lite ſuccubuit, officina Gutenbergii tranſivit ad Fauſtum; unde mendax de Fauſto, artis inventore, fama novum robur accepit.

CAPUT VII.

Typographica Argentinenſis æra Moguntinenſi antiquior.

§. 1.

ORDO rerum requirit, ut a fallaciis Fauſti ad Documenta noſtra redeamus. Ex his evidens eſt, omne id, quod in re typographica Gutenbergius ante a. 1445. ſuſcepit, ſoli Argentorato deberi. Aſſertio hæc Moguntinenſium poſtulatis minime contrariatur, quippe qui ante a. 1450. ex primitiis artis ſibi vindicant nihil. Argentinenſium cauſam Moguntinenſis hæc æra quam maxime firmat. Ambo Schœfferi, pater & filius, & ex patris relatione Trithemius, epochæ Moguntinæ initium a. 1450. affigunt. In eodem anno Chroniçon Colonienſe, Aventinus, Munſterus, Accurſius, Roccha, Beughemius, Saubertus, Serarius, Paulus pater, aliique conveniunt. APIANUS & GENEBRARDUS (*s*) ad ann. 1453, FASCICULUS TEMPORUM a. 1457. FELIX FABER a. 1459. Moguntinam æram poſuerunt. Ex Documentis autem noſtris elucet, jam ab a. 1436. adeo-

(*s*) SERARIUS *de Rebus Mogunt. Lib. I. Cap. 33. p.* 117.

que XIV. annis, antequam Moguntiæ de typographia cogitaretur, cives noſtros cum Gutenbergio in arte hac occupatos fuiſſe; quod ipſum temporis ſpatium typographicam illam Argentinenſium epocham, huc uſque ignotam, conſtituit. Argentinenſis vero cauſæ patroni a. 1440. artis inventionem omnes aſſignant. Eodem anno Germaniæ Bataviæque Civitates & Academiæ communi cum Argentinenſibus conſenſu ſecularia typographica celebrant. Unde pleroſque bonæ fidei ſcriptores in anno hoc conſentire profitetur MAITTAIRIUS. (*t*)

§. 2.

Epochæ hæ conciliatæ.

Quinquageſimus ergo ſeculi XV. annus epocham Argentinenſem & Moguntinam diſcernit. In illa literæ ſculptæ Argentorati, in hac fuſiles Moguntiæ regnarunt. Illas Gutenbergius, a ſe Argentinæ inventas, Moguntiam attulit. Has Petrus Schœfferus Moguntiæ invenit, atque Gutenbergianis ſuperaddidit. Ipſi vero cauſæ Moguntinenſium patroni cum hanc epocham conſtituant, omnis diſputatio ceſſat; utrique civitati ſua ratio conſtat. Joh. Schœfferus ergo, filius Petri, in nonnullis librorum ſuorum epigraphis (*u*) vere profeſſus eſt, *Chalcographiæ* & *ſtan-*

(*t*) *Annal. typograph. Tom. I. pag.* 3.

(*u*) In *Trismegiſto*, a. 1503. Moguntiæ impreſſo, recte in epigraphe dixit: "Joannes, cognomento Opilionis, primarius „ civis metropolitanæ urbis Moguntinæ, feliciſſima eorum „ propagine ſatus, qui divinam fere chalcographiæ artem pro„ pitiis fatis invenerant." Item in calce libelli ÆNEÆ SYLVII de *Aulicorum Miſeriis*, quem idem Schœfferus Moguntiæ a. 1517. impreſſit, hæc verba leguntur: "Excuſum eſt „ hoc Æneæ Sylvii opuſculum per Jo. Schœffer typographum „ fane quam accuratum, Moguntiaci, ubi divinum inventum „ ſtanneis typis excudendi libros primo natum."

neis

neù typis excudendi artem, a patre ſuo inventam, deberi Moguntiæ.

§. 3.

Sed jam ante me duas quoque diverſas typographiæ epochas conſtituit SCHWARZIUS, qui in libro, a. 1727. edito, (x) ita diſſerit: " Ad Argentoratenſes ex non obſcu- „ ris indiciis referrem & Biblia Latina & Libros feudorum, „ & alios quoſdam libros typis ligneis impreſſos. " Paulo poſt addit: " Quis vero neget, iſtum Jo. Gutenbergium „ cum Jo. Mentelio & Henrico Huſnero, Civibus Argen- „ tinenſibus, jam potuiſſe conferre conſilia, de typis mo- „ bilibus, ex ligno ſculpendis; ac poſtea Moguntiam re- „ verſum & a Fauſto Schœfferoque adjutum, literis ex me- „ tallo fuſis artem magis perfeciſſe, aut certe perficiendæ „ ſuppetias tuliſſe. " Alio in loco (y) idem SCHWAR- ZIUS ſequentia prodit: " Is autem Gutenbergius cum „ recepiſſet ſe Moguntiam, adjuncto ſibi Jo. Fauſtio item- „ que Petro Schœffero Gernsheimenſi, in libris quibuſdam „ imprimendis adhuc typis ligneis uſi ſunt: id quod non „ ſolum Arnoldus Bergellanus in celebri Poëmate de Inven- „ tione Chalcographiæ indicat, ſed etiam nos ipſi partem „ Codicis divini, grandioribus hujuſmodi typis Moguntiæ „ impreſſam, in aliquo monaſterio Moguntino vidimus. " Schwarzii ſententia.

(x *Index nov. Librorum p.* 25. *ſq.* Excerpta ex eo dedit WOLFIUS in *Monumentis typograph. Tom.* 2. *pag.* 1179.

(y) In *Programmate*, quod ſub Nic. Weiſſii Rectoris nomine a. 1735. Altorfii ſcripſit, & WOLFII *Monumentis typogr. Tom.* 2. *pag.* 1184. inſertum legitur.

§. 4.

Pauli Patris ſententia.

Schwarzio PAULUM PATREM, Gedanenſem, ſubjungo, qui ſimiles quoque veritatis ſcintillas jam ſenſit. (z) „Productæ, inquit, auctoritates & teſtimonia veterum, „quin & ipſa veritas affirmat, in nobili Argentorato, Ma„thematici Regiomontani conſilio, memoranda hæc auſa „generoſaque conata Gutenbergium ſuſcepiſſe, inſumta„que magna pecuniæ vi (erat enim perdives) tentaſſe pri„mum ibidem rem variis experimentis ab a. 1440. poſtea „vero circa a. 1450. in vicinam Moguntinenſem Civita„tem commigraſſe atque ope Jo. Fauſti, qui & Fuſtus „itemque Gensfleiſch dicitur, feliciter tandem perfeciſſe."

Conjectura veritati propinqua, niſi quod Regiomontanum, (a) qui nonniſi a. 1436. natus eſt, Gutenbergio conſilia de typographia Argentorati jam dediſſe memorat, & Fauſtum cum Gensfleiſchio eundem eſſe cenſet.

§. 5.

Leibnitii ſententia.

Schwarzio & Paulo Patri GUILIELMUM LEIBNI-

(z) Diſſert. de *Germaniæ miraculo, typis literarum p.* 9.

(a) De quo ſupra Cap. I. §. 6. Huic primam typis ligneis imprimendi artem THEODORUS ZWINGERUS in *Theatro Vitæ Vol. XX. Lib. I. pag.* 3629. & PETRUS RAMUS in *Schol. Mathem. Lib. II.* adſcripſerunt. Noribergæ ille typographiam inſtituerat, ut veteres Mathematicos, quos ex Italia attulerat, prelo ſubjiceret. Sculpendorum quoque typorum eminuit arte; SCHWARZIUS in *Indice novo pag.* 27. Sed Gutenbergium ab eo in arte adjutum fuiſſe, impoſſibile eſt, quod eo demum anno natus eſt, quo Gutenbergius cum ſociis Argentorati jam primitias exercuit.

Digitized by Google

TIUM ſubjungo, qui in *Anti-Plagiario* (*b*) ſuo ſententiam ſuam ita exponit: "Probabile videtur, Joh. Gutenber-„ gium, virum patricium ex nobili gente *Zum Jungen* ſeu „ Jungiorum, quæ nunc quoque Francofurti floret, pri-„ mas artis typographicæ cogitationes animo concepiſſe & „ Argentorati agitare cœpiſſe, ſed Moguntiæ demum per-„ ficere potuiſſe, adjutore Jo. Fauſto, Moguntino, & ge-„ nero Fauſti, Petro Schœffero, Gerneshemenſi . . . Fieri „ poteſt, ut Jungio in urbe Argentoratenſi hæc verſanti, „ aſtiterit Mentelius ille Argentoratenſis."

Hæc Leibnitius.

§. 6.

Quodſi ergo Gutenbergianus apologiſta KOELERUS, vir candidus & egregie doctus, a. 1755. defunctus, documenta hæc legere jam poſſet, primariam hanc Gutenbergianæ vitæ periodum, quæ Argentinenſis eſt, ſuo libro præmitteret, atque adeo tela, quæ pro Moguntinis contra Argentinam direxit, communi nobiſcum ſententia contra Moguntinos dirigeret. Argentinenſes Gutenbergium jam non amplius furti complicem agunt, quod fecerant olim, ſed ingenue fatentur, typographiam ex Gutenbergii ingenio prodiiſſe, at prodiiſſe Argentorati; indeque demum migraſſe Moguntiam, ut Kœleri apud Altorfinos collega olim divinaverat Schwarzius; qui conjecturæ ſuæ veritatem documentis probari tandem lætaretur ex animo, ſi in vitam rediret. Rerum jam converſus eſt ordo. Amiciſſimo nunc vinculo Gutenbergius & Argentina junguntur. Priſtini defenſores Mentelium deſerunt. BOECLERUS, Epicriſis.

(*b*) Conf. ſupra Cap. I. §. 1. not. (*d*).

SCHMIDIUS, SCHRAGIUS, SCHILTERUS, (*c*) eorumque ſequaces, palinodiam nunc canerent, redituſque illis ſi daretur in orbem, faſſuri eſſent lubenter, bonam Argentinenſium cauſam falſis a ſe rationibus fuiſſe adſtructam.

§. 7.

Chronici Colon. nævi.

Illuſtribus his Argentinenſibus viris errorem ſuum eo facilius condonaturus eſt lector, cum intelliget, quam longe a veritate illi quoque ſcriptores receſſerint, qui in argumento hoc ab omnibus ſuſpiciuntur ut principes; quorum duo temporibus, quibus res geſta eſt, proximi, tertius auctoritate quoque & judicio gravis. Colonienſe illud Chronicon vetus, Trithemium atque Serarium intelligo. CHRONICON COLONIENSE, a. 1499. editum, in ſequentibus circumſtantiis errat.

1. Gutenbergium vocat Argentinenſem.

2. Inventionem inter a. 1440. & 1450. ponit.

(*c*) KOELERUS *in Gutenbergs Ehrenrettung pag.* 2. de viris his ita ſcribit: *Man muß ſich wundern, daß der ſonſt verſtändige Juris Conſultus u. Hiſtoricus D. Jo. Schilter auf ein ſolches ſandiges fundament, nemlich auf das leere vorgeben zweyer neuerer u. unwiſſenden Chronickenmacher, als Dan. Specklins u. eines ungenannten, ſich gründen mögen.... Gleichwie übrigens dieſe elende Chronickenſchreiber u. ihre anhanger zeigen, daß ſie ſich, wo ihnen redlicher beweiſsthum abgehet, ſo gut als obige Hollandiſche ſcribenten, mit falſchen erzehlungen, calumnien und injurien, zu erlangung ihres endzwecks zu behelffen wiſſen, de jure aber ſo lang u. viel für nichts würdige diffamanten werden paſſiren müſſen, bis ſie dem ehrlichen Guttenberg die imputirte untreue u. diebſtahl erweiſſen &c.*

3. Artem Moguntiæ inventam, indeque ad Colonienſes, Colonia ad Argentinenſes tranſlatam fuiſſe prodit.

4. Biblia Moguntina primum omnium librum perhibet typis impreſſum.

5. Ulricum Zellium, qui floruit Coloniæ a. 1499. primum dicit typographum illius urbis, quum tamen a. 1470. in ea jam libros impreſſerit Petrus de Olpe. (*d*) In domeſticis rebus errans, in exteris num oculatior credendus?

§. 8.

TRITHEMII (*e*) teſtimonium, quod apud omnes magnæ auctoritatis eſt, quia ex ipſo Petri Schœfferi ore perſcriptum, in pluribus tamen partibus vacillat, ac a veritate recedit. Auctor a Schœffero ipſo in errorem inductus eſt; qui a Fauſto malas artes ex parte, ſed non omnino didicerat. Enimvero Trithemius 1°. Gutenbergium quidem artis inventorem pronunciat, ſed omnes Argentinenſes ejus operas ignorat; cuncta ſoli Moguntiæ tribuens. Trithemii errores.

2. Gutenbergius, inita cum Fauſto ſocietate Moguntiæ, jam pridem Argentinæ literas quum tractaverit mobiles, fallitur Trithemius, inquiens, Gutenbergium cum Fauſto *Catholicon* expreſſiſſe ex tabulis, indeque ſingulares literas inveniendi ſumſiſſe occaſionem.

3. Singularium literarum ſculpturæ nullam facit mentionem; atque adeo a tabulis ſculptis ad fuſiles typos Guten-

(*d*) KOELERUS in *Ehrenrettung Gutenbergs p.* 45.
(*e*) *Annal. Hirſaug. Tom. II.* ad a. 1450.

bergium Moguntiæ ſubito tranſiviſſe putavit. Dicendum erat, Schœfferum, inventis a Gutenbergio Argentinæ literis ſingularibus ſculptis, fuſiles addidiſſe Moguntiæ.

4. Ambigua eſt Trithemiana relatio. Quum enim a Gutenbergio *inventam* & *excogitatam* fuiſſe artem dixiſſet, poſtea Fauſtum ei atque Schœfferum ita adjungit, ut omnes tres typographicæ artis inventores appellet, cum nullæ plane Fauſti hac in re extiterint partes.

5. Trithemius addit: *artem clam habitam, per famulos divulgatam, ad Argentinenſes primo & paulatim ad omnes nationes* perveniſſe. Typi fuſi poſt captam Moguntiam ad Argentinenſes quoque pervenerunt. Sed hi jam ante annos viginti typographiam ligneis literis exercuerant.

§. 9.

Serarii. NIC. SERARIUS (*f*) rerum Moguntinenſium copioſus & florentiſſimus Scriptor, non iniquus Argentinenſibus, nec in Fauſtum propenſus, ſed veritatis ſtudioſus, in ipſis illis rebus, quas Moguntiæ eruere potuiſſet, in errores prolapſus eſt. Argentinam Gutenbergio dat patriam, genuſque ei denegat equeſtre: quum patria Moguntinus fuerit atque nobilis ortu. Gutenbergio generum dat Petrum Schœfferum, quem generum Fauſti per longam annorum ſeriem Moguntia vidit. Gutenbergius nullam prolem reliquit. Moguntino ſcriptori hæc excidere potuiſſe, multi mecum mirabuntur.

Ex tam turbidis fontibus Moguntinæ cauſæ patroni argumenta ſua cum hauſerint, nemo fortaſſe mirabitur, inventæ typographiæ origines ab illis non ex vero perſcriptas.

Tranſeamus ad Batavos.

(*f*) *Rer. Mogunt. Lib. I. cap.* 38.

CAPUT VIII.

Typographicæ Harlemenſium origines.

§. 1.

HARLEMUM, Argentorati & Moguntiæ æmula, impreſſoriæ artis inventorem producit civem ſuum, Laurentium Coſterum, (*g*) quem a. 1428. eam inveniſſe, a. 1440. evulgaſſe contendunt. (*b*) Harlemenſium cauſa ex Junio.

Primus hanc Harlemenſibus gloriam vindicavit Hadrianus Junius; majores eorum incuriæ accuſans, quod laudem patriæ debitam, tam diu neglexerint. (*i*) Hic CXXVIII. annis poſt Coſterianæ inventionis epocham, quam ad a. 1447. ponit, teſtamenti inſtar, *Bataviæ* ſuæ, (*k*) ad poſterorum memoriam, inſeruit ea, quæ a teſtibus auritis perceperat, qui ſua ab oculato audiverant teſte. Oculatus

(*g*) Laurentius Janſonius Coſterus, Belgice *Laurenz Jantz Koſter*, de quo HADR. JUNIUS in *Batavia pag.* 255. ita: "Habitavit ante annos CXXVIII. Harlemi in ædibus ſatis ſplendidis, foro imminentibus, e regione palatii regalis Laurentius Joannis, cognomento Ædituus Cuſtoſve, quod tunc opimum & honorificum munus familia, eo nomine clara, hæreditario jure poſſidebat."

(*b*) Ita loquuntur nummi memoriales, a. 1740. cuſi Harlemi, quos protulit SEIZIUS in libro: *Derde Jubeljaar der Bockdruk-Konſt, pag.* 106. *ſqq.*

(*i*) Nihil enim hac de re GUIL. HEDA, nihil REINERUS SNOYUS, aliique Rerum Batavicarum ante Junium ſcriptores.

(*k*) Librum hunc Hollandiæ Ordinibus a. 1575. dedicavit.

eſt Cornelius, bibliopegus, operarum Coſteri olim ſubminiſter, a quo Nic. Galius, Junii præceptor, & Quirinus Taleſius, Harlemenſis Conſul, rem intellexerant, qui eam bona fide Junio retulerunt. Nec circumſtantias prætermiſit Junius, quibus typographia Harlemo Moguntiam migrarit; quas vellem omiſiſſet. Fauſtum enim, vel alium ex operariis Coſteri, ipſa Chriſti natalium nocte, ſacris ſolennibus cum herus intereſſet, omnia typographiæ inſtrumenta ex ædibus ejus Harlemo Amſtelodamum, inde Coloniam & denique Moguntiam furto tranſtuliſſe, fuſe enarrat. Narratio, cui nec verum, nec veriſimile ineſt. Fur tot utenſilia, pluſquam plauſtri vecturam, una nocte effert Harlemo; nec latebras aut diverticula quærit, ſed furtivam tot inſtrumentorum ſarcinam, nemine perſequente, nemine coram ullo judice querimoniam movente, per maximas civitates Moguntiam perfert, ibique in publica orbis luce, in libris a ſe editis inventorem typographiæ ſe jactat. Junius addit, Fauſtum a. 1442. qui inſecutus eſt furtum, cum ipſis typis, Coſtero ablatis, *Alexandri Doctrinale* impreſſiſſe Moguntiæ, quæ tamen ante a. 1450. nihil typographicæ artis ſibi unquam vindicavit. (*l*) Teſtimonium ergo Cornelii, de Xylographia loquentis, Galius & Taleſius ad typographiam Gutenbergicam applicuerunt, remque Junio ita expoſuerunt; qui eandem perſcribens, tabellarem typographiam cum verſatili confudit.

(*l*) Vide Cap. VII.

§. 2.

§. 2.

Auctoritas Junii quinquaginta poſt annos Petrum Scriverium, Harlemenſem, præſtantis doctrinæ virum, induxit, ut patriæ ſuæ cauſam magna cum eruditione, teſtibus undiquaque excitatis, defenderet. *Lauream* ille populari ſuo, Laurentio Coſtero, (*m*) nexuit, qua non apud Batavos modo ſuos, ſed & apud exteros, ſibi laudem paravit; omne argumentum hoc peculiari volumine copioſe pertractans. In illuſtri tamen illo opere nihil aliud Coſtero, quam Xylographiam tabellarem adſcribit. " Non eo, in- Ex Scriverio.
„ quit, (*n*) qui hodie uſitatus eſt, modo, typis ſcil. ex
„ plumbo & ſtanno arte fuſoria factis, qui ſingulatim e lo-
„ culamentis a typotheta excepti, in gnomone juxta ſe
„ ponuntur, quot eorum primum ad vocem, deinde ad
„ verſum, poſtremo ad paginam integram formandam re-
„ quiruntur. Neque enim hoc pacto primum hæc ars tra-
„ ctata eſt, ſed liber imprimendus per partes ſive folia ta-
„ bulis ligneis incidebatur. " His aliud ejuſdem Scriverii teſtimonium accedit, qui libello de *Tentationibus morientium*, Harlemi in Curia ſervato, ſua manu inſcripſit: " Liber ta-
„ bularum ligno inciſarum a Laur. Coſtero circa annum ſa-
„ lutis hum. MCCCCXXVIII. " Libellos ergo quoſdam

(*m*) *Laurecrans voor Laurens Coſter* a. 1628. Refertur ibi inſcriptio ſequens:

Memoriæ Sacrum
typographia
ars artium omnium
conſervatrix
Hic primum inventa
M. CCCCXIIX.

(*n*) *Lib. alleg. p. 67. edit. Bat. Editionis vero Lat. Wolfii p. 403.*

Xylographici operis, quos ex Coſteriana officina prodiiſſe crediderat, Scriverius collegit, qui deinceps in Curiam publicam Harlemenſem tranſierunt; quod notæ & obſervationes libris illis, manu ejus adſcriptæ, demonſtrant. (*o*)

§. 3.

Ex Bertio. Petro Scriverio Petrum Bertium adjungo, Geographum illuſtrem, qui apud Batavos diu docuit, & *Speculum hum. Salvat.* cum Scriverio examinans, cum eodem de typographiæ inventione ſermonem inivit. BERTIUS (*p*) de libro hoc ita diſſerit: " Attentius conſideranti facile apparuit non col-
„ lectas fuiſſe literas ſingulas digeſtaſque in vocem, voces
„ in verſum, verſus plures in paginam, ſed ſingulas pagi-
„ nas ſingulis tabellis ligneis expreſſas fuiſſe, imaginibus
„ literiſque exſtantibus atque prominentibus, ſicut ſigillis
„ & ectypis ſolent imprimi notæ rerum materiæ molliori,
„ & ut ex libris ad nos e Sina advectis apparet Sinenſes li-
„ bros ſuos adornare, quæ res ut adfinitatem aliquam cum
„ arte typographica hodierna habet, ita multum adhuc a
„ perfectione artis remota eſt. Nec negabunt Moguntini,
„ quin ea ſaltem laus Harlemenſibus noſtris debeatur.
„ Quis autem non videt, facilius fuiſſe ingenioſis homini-
„ bus & ad res præclaras inveniendas natis ex tali rudi-
„ mento progredi ulterius, & ad conceptam animo perfe-
„ ctionem ſuperatis impedimentis eniti. "

(*o*) De primitiis typograph. Harlemenſibus vid. UFFENBACH in SCHELHORNII *Amœnit. liter. T. IX. p.* 974. *ſqq. Donatum* in Curia ſua ſervare deberet Harlemum. Sed de eo, ut de libro a ſe non viſo, Scriverius loquitur. Nec ullibi mihi unquam Donati exemplum, nec MAITTAIRIO, SCHWARZIO, aliiſque multis unquam occurrit.

(*p*) In *Commentariis Rer. Germ. Lib.* 3. *pag.* 200.

§. 4.

Cum Bertio conſentit RUTGERSIUS, (q) decus quoque Bataviæ, ſcribens: "Aliter rudimenta artis inchoata „ ſunt. Nam non ex diſcretis & ſingularibus typis, inter „ ſe junctis, ut hodie fit, cœptum eſt imprimi, ſed in pa„ gellis ligneis, quibus literæ inciſæ erant, qui modus „ primus excudendi in noſtra Hollandia Harlemi inventus „ fuit." BOXHORNIUS denique in Diſſertatione ſua contra Mallinkrotium (r) ait: "Alia Coſteri fuere rudimenta, „ lignei typi & tabellæ inciſæ. Atque iis libros primus ex„ preſſit." Nata ſcilicet Mallinkrotio, qui Scriverium non recte intellexerat, occaſio, ut Moguntiæ cauſam contra Harlemenſes defenderet. Scriverius defenſorem contra Mallinkrotium in Boxhornio invenit. Andabatarum profecto pugna, quum Batavi tabularum ſculptarum, ad libros applicatarum, inventionem Coſtero, Mallinkrotius libros, typis mobilibus compoſitos, Fauſto ſuo adſcriberent. Utraque pars *Typographiæ* nomine rem intellexit diverſam. (s) Ex aliis.

§. 5.

Principes hos Harlemenſium cauſæ patronos ſecuti ſunt alii, quos denique a. 1740. CHRISTIANUS SEIZIUS (t) Seizii argumenta.

(q) In *Confutat. fabulæ Burdonum pag.* 290. De libri hujus auctore variant ſcriptores. PLACCIUS *de Anonymis pag.* 37. & 350.

(r) *De typographicæ artis inventione pag.* 37. & in WOLFII *Monum. typogr. p.* 848. Scriverius pro Harlemenſibus ſcripſit a. 1628. Hunc a Mallinkrotio a. 1639. confutatum Zuerius Boxhornius a. 1640. defendit.

(s) Conf. ſupra Cap. I.

(t) In libro, cujus titulus: *Derde Jubeljaar* &c. Harlemi 8vo.

excepit. Decem ille probationes pro Harlemenſibus profert, quibus ea, quæ Scriverius protulerat, novo ordine diſponit. Prima & primaria, a *Speculo humanæ Salv.* deſumta, quanti ponderis ſit, inferius oſtendam. (*u*)

Primum.

Secundum.

Secundum Seizii argumentum, ex RICHARDI ATKYNSII, Angli, (*x*) qui a. 1664. ſcripſit, teſtimonio petitum, Harlemenſium cauſam non firmat, ſed jugulat. Nihil enim nec Atkynſius, nec Woodus, ejus exſcriptor, de Laurentio Coſtero; ſed Gutenbergio, apud Harlemenſes typographiam exercenti, artem dolo ab Anglis ſurreptam fuiſſe, perſcribunt. (*y*) Britannica ergo ſcrinia Gutenbergio favent, non favent Coſtero.

(*u*) SEIZIUS *pag.* 161. *ſqq.* neſcio qua fide, pleroſque ex libris typographiæ tabellaris, quos Cap. I. enarravi, quique nota loci, temporis & artificis carent, non tantum Coſtero vindicat, ſed & chronologicum eorum ordinem pro lubitu diſponit. *Tentationes Dæmonis* a. 1431. *Hiſtorias Veteris & Novi Teſtamenti* a. 1432. *Canticum Canticorum* a. 1433. *Apocalypſin* a. 1434. *Donatum* a. 1435. aſſignat. Coſterus denique, ex Seizii calculo, a. 1438. literas fuſas invenit. A. 1439. *Speculum Salvationis* lingua Batavica edidit. Tum vero Gutenbergium, Coſteri fama permotum, Harlemi primum comparuiſſe cenſet; artemque edoctum utenſilia furto abſtuliſſe Coſtero, & pertuliſſe Moguntiam; quod furtum JUNIUS Fauſto adſcribit; uti ſupra §. 1. retulimus. De furto, cujus Gutenbergium SALMUTHUS & MALLINKROTIUS accuſant, quod nempe Fauſto artem auferens, Argentoratum attulerit, vide Cap. IX. Chronologiam ſuam Seiziüs, ſine oraculi cujuſdam monitu, definire non potuit.

(*x*) *The Original and Growth of Printing* London 1664. 4to. MAITTAIRE *Annales typogr. Tom. I. pag.* 27.

(*y*) Vide Caput IX.

CHRONICON COLONIENSE, a. 1499. impreſſum, & MARIANGELUS ACCURSIUS, (z) quorum teſtimonia tertium & quartum Seizii argumentum componunt, teſtes quidem ſunt, *Donatum* apud Batavos prodiiſſe in lucem. Sed iidem hi teſtes ſat aperte declarant, de libro, ex tabulis expreſſo, ſe loqui; unde nata Moguntinis occaſio, ut mobilibus literis ſuos libros imprimerent. Tertium & Quartum.

§. 6.

JUNII, GUICCIARDINI, ZURENII (a) & COORNHERTII (b) teſtimonia, quæ ſequentibus quatuor argumentis proferuntur, reputanda pro uno; quod omnes Junium bona fide ſecuti ſunt, qui relationem ſibi factam non recte interpretatus eſt, uti ſupra oſtendi. Quintum, Sextum &c.

(z) Ex Caroli V. Imp. ætate ſcriptor, qui ad marginem Donati notavit, Fauſtum artem imprimendi quidem Moguntiæ excogitaſſe, ſed excitatum & monitum Hollandiæ *Donato*, qui tabellis inſculptus. Accurſii verba SCRIVERIUS profert pag. 50. Ipſum vero Donati exemplum Aldus Manutius junior oſtendit Angelo Rocchæ a Camerino, qui hæc annotat in *Append. Bibliothecæ Vaticanæ* pag. 409. *Donatus* non auctoris, ſed libri eſt titulus: Inſtitutio Grammatices, quæ a Coſtero Harlemi circa a. 1440. edita, primum artis typographicæ ſpecimen creditur. BEUGHEN *Incunabula typographiæ pag.* 54. Donatus pro puerulis primus quoque liber Romæ impreſſus memoratur. ORLANDI *Orig. della ſtampa pag.* 68.

(a) ZURENIUS, Harlemenſis Conſul, a. 1591. deceſſit. Dialogum hic MS. reliquit, in quo patriæ ſuæ inventionem artis adſcribit. Sed mutilus & imperfectus eſt labor. SCRIVERII *Laurea Cap.* 2. *pag.* 28.

(b) COORNHERTIUS, Harlemenſis typographus, in Dedicatione *Officiorum Ciceronis* ad Conſules & Senatum Harlemenſem, laudem hanc quoque patriæ adſcribit.

Nonum. NATALIS vero COMES, qui teſtis nonus producitur, Coſterum, ut Atkynſius, ſilentio præterit, ſolique Gutenbergio inhæret. Hunc autem a. 1443. Harlemi artem excogitaſſe ſcribit, (*c*) ejuſque mortui famulum eam pertuliſſe Moguntiam, ubi fuerit perfecta. Scriptor hic ex turbidis quoque fontibus ſua hauſit. Gutenbergius tunc temporis vixit Argentorati, ut *Documenta* noſtra teſtantur, primitiis typographiæ intentus.

Decimum. Promiſcuorum denique ſeculi XVII. ſcriptorum conſenſus decimum Seizii argumentum eſt. Teſtimonia eorum quantum in re, ducentos ante annos geſta, valeant, Lector, me tacente, intelligit.

§. 7.

Epicriſis. Qualiſcunque horum argumentorum ſit indoles, Seizius ea ex Scriverio hauſit, qui eadem conquiſiverat undique, typographiam tabellarem ut vindicaret Harlemo; quam ei ultro & lubentes concedimus. Junioribus autem Batavis aſſentire non poſſumus, qui typographiæ verſatilis inventionem Harlemo attribuunt; quod nec Scriverius, nec Scriverii propugnator Boxhornius, nec Bertius, nec Rutgerſius facere auſi ſunt, qui principes tamen in omni hoc argumento extitere ſcriptores. (*d*)

§. 8.

De Speculo Salvat. Xylographica ergo veræ typographiæ præludia Coſtero

(*c*) *Hiſt. ſui temp. L. XXIV. pag.* 525. *edit. Argent.*

(*d*) ALBERTUS FABRICIUS in *Bibliographia antiquaria Cap.* 21. *pag.* 630. tabularem quoque typographiam Batavis concedit, verſatilem negat.

non denego, quod nempe Xylographiam ad impreſſionem librorum adaptaverit propius, quodque *Donatus* aliique libri, tabellis impreſſi, ex officina ejus prodierint. Primum autem typographiæ tabellaris inventorem non dixerim.

Nec *Speculum humanæ ſalvationis*, quod tam ſollicite Harlemenſes cuſtodiunt, (*e*) in claſſem hanc referendam exiſtimo; contra quam SCRIVERIUS, BERTIUS, LEIBNITIUS, (*f*) UFFENBACHIUS (*g*) ſtatuunt; & ego auctoritate eorum inductus, aliquando ſtatueram. (*b*) Liber eſt enim ex Coſteriana & Gutenbergica typographia compoſitus. Scilicet ab eo tempore, quo ſcripſeram, plura hujus libri exempla, in Bibliotheca Sorbonica, Bozeana & apud Cœleſtinos Lutetiæ inſpexi, & poſt repetitum identidem examen inveni, eum eſſe operis mixti. Superior paginarum pars icones & verba, literis immobilibus ſculpta, repræſentat; inferior autem, quæ rhytmos Latinos ſculptis mobilibus exprimit, genuinæ typographiæ

(*e*) Exempla & Latini, & Batavici idiomatis ſunt. Forma libri eſt folii minoris. Folia in adverſa tantum parte impreſſa, adeoque non opiſtographa, ita ut duo glutino potuerint conjungi. Foliorum numerus in exemplaribus inter 54. & 61. variat, quod in libris, ubi nec numeri paginarum, nec cuſtodes, nec ſignaturæ, quas vocant, facile evenit.

(*f*) In libro inedito, cui tit. *Anti-Plagiarius*. Vid. ſupra pag. 2. not. (*d*).

(*g*) Uffenbachius, qui Harlemenſia exempla non ſemel inſpexerat, de Speculo hoc fuſe in SCHELHORNII *Amœnitat. Liter. tom. IX. pag.* 969. 975. Quæ MISSONIUS in *Itinerar. tom. I. Epiſt.* 2. refert, ficulnea ſunt.

(*b*) In *Programmate* a. 1740. quo ad ſecularem typographiæ inventæ memoriam, Argentorati celebratam, Auditores invitavi.

partus eſt, in quo MAITTAIRIUS, (*i*) SCHWARZIUS, (*k*) & nuper demum FOURNIERIUS, (*l*) in fuſoria typorum arte Lutetiæ excellens, ligneas mobiles literas mecum agnoſcunt. (*m*)

§. 9.

Nihil probat.

Quodſi ergo annus 1428. quem *Speculo* SCRIVERIUS (*n*) aſſignat, certis notis conſtaret, verſatilis typographiæ inventio deberetur Harlemo.

Verum enimvero calculi, quem *Speculo Coſteriano* Scriverius affingit, fundamentum *Chronico* RABBI JOSEPH (*o*) innititur; qui ad a. 1428. obſervat, primigenium typographiæ partum ſe vidiſſe Venetiis, at libri ipſius reticet nomen. Scriverius hinc ita concludit: "Veneti & Mogun„ tini librum hunc ſibi vindicare non audent, quod ars il„ lis tum adhuc incognita; neceſſario itaque liber vindi„ candus Harlemo." Hæc ratio eſt epochæ, quam in monumentis & memorialibus nummis, Scriverio præeunte,

(*i*) *Annal. typogr. tom. I. pag.* 18.
(*k*) *Index novus libror. pag.* 22.
(*l*) *Diſſert. alleg. pag.* 29.
(*m*) CHEVILLIERIUS in libro *Origine de l'Imprimerie de Paris pag.* 20. *Speculum* ex tabulis ligneis, foliatim inciſis, expreſſum fuiſſe ſcripſit. At *pag.* 282. in alterum extremum prolapſus, literas mobiles fuſas ei attribuit, quum inæqualitas literarum ſculptas aperte ſat indicet. Idem facit SEIZIUS in *Derde Jubeljaar pag.* 112.
(*n*) SEIZIUS Speculo, Batavica lingua ſcripto, editionis primæ annum 1439, ſecundæ a. 1443, Speculo Latino a. 1444, neſcio quibus indiciis, confidenter aſſignat.
(*o*) *Laurecrans pag.* 97.

Harle-

Harlemenſes fixerunt; quæ certe anachroniſmo laborat, atque Junii, primarii in argumento hoc auctoris, contrariatur ſententiæ, qui artis inventionem anno 1447. affixit. Quodſi *Speculi* & ceterorum, quos cuſtodit, librorum exempla ab eo tempore, quo ex prelo prodierunt, in ſua Curia ſervaſſet Harlemum, reique firmandæ documenta condidiſſet, chronologia ejus typographica ſtaret talo firmiore. At ſervandis illis Junius, atque præſertim Scriverius, occaſionem dederunt; quorum poſterior ducentis poſt Coſterum annis vixit, a. 1653. vita defunctus. Primis hujus *Speculi* editionibus nulla loci, temporis aut artificis, ſubjuncta eſt nota. At Batavici idiomatis exemplum, ex iiſdem iconibus expreſſum, *Veldenarius* typographus a. 1483. Culemburgi edidit, ut illuſtris MEERMANNUS, ejus poſſeſſor, me docet. Cur non eidem Veldenario Latinam quoque ejuſdem libri editionem tribuamus; qui & alium hujus indolis librum, *Faſciculum temporum*, cum iconibus, ligno inſculptis, Lovanii Latine a. 1474. Ultrajecti Batavice a. 1480. produxit. (*p*)

§. 10.

Non opus eſt ergo, ut cum MALLINKROTIO (*q*) quæram: "Unde tandem Harlemenſes ſcire poſſunt, Lau„rentii ſui, & non alterius illud opus eſſe. Quibus argu„mentis, indiciis, conjecturis, quæ aliquid fidei merean„tur, nobis probabunt & perſuadebunt, illud ipſum *Spe„culum* hodierna typographia prius & antiquius eſſe?" Nec cum SCHWARZIO (*r*) dicam: "Neſcio an rebus Concluſio.

(*p*) SCRIVERIUS ibid. *pag.* 90.
(*q*) *De ortu & progreſſu typographiæ pag.* 52.
(*r*) In *Indice novo Libror. pag.* 20.

„ ſuis ſatis conſulant Harlemenſes, quod ejuſmodi tabulas „ antiquas, in quibus tamen nec vola nec veſtigium deſi- „ gnati temporis, loci aut artificis invenitur, colligant, „ & tanquam Coſterianos oſtendant . . . . . Satius eſſet „ ex Archivo declarare, quando & unde iſtiuſmodi reliquiæ „ librariæ comparari cœperint . . . . . .

Nos potius lubentes Harlemenſibus id omne concedimus, quod præcipui ejus vindices eidem attribuunt. Scriverius, lauream nectens Coſtero, non niſi tabellarem ei literarum fixarum typographiam adſcribit. Laudandum ergo Coſteri ingenium, quod tabellas adaptaverit ad formam librorum, adeoque ad typographiam Gutenbergicam quam proxime acceſſerit. Harlemenſes laudandi, quod civis ſui, hominis ſolertis, memoriam monumentis honorarunt. (*s*)

(*s*) Monumenta hæc omnia exhibet SEIZIUS in libro allegato. SCRIVERIUS poëtico fervore de Coſtero canit: *Diſſimulare vtrum hunc, diſſimulare Deum eſt.* HEGENITIUS in *Itinerario Friſio-Hollandico, pag.* 44.

CAPUT IX.

Reliqua Gutenbergii fata.

§. 1.

EXPOSITIS Gutenbergii, quæ Argentinæ & Moguntiæ ad annum uſque 1455. expertus eſt, fatis, ſupereſt, ut & in tredecim reliquos vitæ ejus annos inquiramus. Primum ejus Argentinenſe iter SALMUTHUS, (*t*) MALLINKROTIUS, (*u*) FAUSTUS ASCHAFFENBURGENSIS, (*x*) poſt litem ejus cum Fauſto, adeoque poſt a. 1455. conſtituunt; typographiam tum temporis demum ab eo Argentoratum allatam, pluresque per annos ibi exercitam fuiſſe, arbitrati. Scilicet Argentinenſem Gutenbergii periodum ex vita ejus cum expungere non poſſent, quinque eam luſtris ſerius, quam par erat, poſuerunt; poſt illud nempe tempus, quo typographia Moguntiæ a Fauſto exercita; ut deterior fieret Argentinenſium cauſa, & veriſimilius furtum, quod Gutenbergio affingunt. Hunc enim a Fauſto poſtquam didiciſſet artem, Argentinam profectum eſſe volunt, ut eam ibi exerceret occulte, antequam ex urbe Moguntia evolaret in orbem. Ita famæ de typographia, Argentorati reperta, cauſam inveniſſe ſe tandem MALLINKROTIUS (*y*) credidit; veſtigia Salmuthi ſecutus; qui furto probando Helmaſpergerianum Inſtrumen- Secundum Moguntinos.

(*t*) *Append. ad Pancirolli nova reperta Lib. 2. pag.* 313.
(*u*) Diſſert. de *Arte typograph. Cap. XI. pag.* 77.
(*x*) WOLFFII *Monumenta typograph. part. I. p.* 452.
(*y*) In libro allegato *pag.* 76. & 82.

tum anni 1455. allegat; ex quo uſuraria quidem pravitas Fauſti, (z) at nullum Gutenbergiani furti veſtigium apparet.

§. 2.

Secundum Gallos. CAILLIUS (a) exiſtimat, Gutenbergium poſt litem cum Fauſto non exiviſſe Moguntia, ſed ad mortem uſque ibidem ſubſtitiſſe. MARCHANDUS (b) Gutenbergium, Argentinæ natum, Moguntiam migraſſe putat, ibique ſocietatem iniviſſe cum Fauſto, eaque rupta rediiſſe Argentoratum, ut novos ibi ſocios pararet; ſed a. 1459. Argentorato profectum eſſe Harlemum, typographicam officinam ut ibi erigeret. Poſtrema hæc Marchandus ex Woodio, ut videbimus, hauſit.

Britannor. relatio. Enimvero ſcriptores Britanni typographiæ, in Angliam tranſlatæ, originem referentes, Gutenbergio, eam exercenti Harlemi, dolo furtoque ablatam contendunt; remque Roberto Tournourio & Guilielmo Caxtono, popularibus ſuis, attribuunt, quos, poſt ſimulatam per aliquot annos cum Gutenbergio amicitiam, artem denique per ſodalem ejus, Antonium de Corſellis, ſurripuiſſe, ſurreptam a. 1464. Angliæ intuliſſe perſcribunt. Ita ATKYNSIUS (c) & WOODIUS. (d) Hic inſuper obſervat, Gutenbergium a. 1459. Argentina tranſiviſſe Harlemum, ut ibi typographiam tractaret.

(z) Conf. Caput III.
(a) *Hiſt. de l'Imprim. pag.* 8.
(b) *Hiſt. de l'Imprim. pag.* 29. & 30.
(c) ATKYNS *the original and growth of printing pag.* 2.
(d) *Hiſtoria Univerſitatis Oxon. Lib. I. pag.* 226. LELANDUS de *Scriptoribus Britanniæ pag.* 423. MAITTAIRE *Annal. typogr. Tom. I. pag.* 26.

Digitized by Google

§. 3.

Woodianæ narrationi non omnino refragor. Fieri enim potuit, ut Gutenbergius, a. 1455. judicio damnatus, exiverit Moguntia. Sed cur Argentinam rediret, ubi ſua conſumſerat; ubi ſucceſſores ejus, Mentelius & Eggeſteinius fortiter prela ſua urgebant. Veriſimilius eſt, Moguntia eum diſceſſiſſe Harlemum. Ita decennalis vitæ Gutenbergianæ lacuna ad annum uſque 1465. quo in Moguntinis documentis rurſus apparet, completur. Ita ratio patet, cur Fauſtus ab a. 1457. fallaces ſuas formulas, (*e*) Gutenbergio nempe abſente, propalare ſit auſus. Noſtra Tabularia poſt annum 1445. quo Argentina diſceſſit, de eo nihil proferunt. Sed & Moguntina uſque ad annum 1465. quantum novimus, ſilent. Harlemenſia nobis ſuccurrere deberent. Dijudicatur.

§. 4.

Poſtremum autem vitæ ſuæ triennium Gutenbergius tranſegit Moguntiæ; ubi a. 1468. diſceſſit. Non inſolens eſt, inventores rerum ut pauperes moriantur. SALMUTHUS (*f*) Gutenbergium divitem obiiſſe credidit; qui tamen infelix ubique pro opibus ſibi lites paravit. Litigavit Argentorati, litigavit Moguntiæ; magnas inter ſpes pauper & inops. Adolphus ergo, Moguntinus Elector, inter Aulicos eum ſuos a. 1465. cum annuo ſtipendio recepit. (*g*) Utenſilia Gutenbergii mors.

(*e*) Cap. VI.

(*f*) Salmuthum ſequitur HOFMANNUS in *Lexico Hiſt.* ſub art. Jo. Fauſtus. *Chron. Argent. vetus* Mſ. Anonymi eundem errorem committit.

(*g*) Literæ Adolfi, datæ in Eltvil, Rhingoviæ loco, die S. Antonii, extant *Tomo* 3. *Rer. Mogunt. pag.* 424.

typographica, quæ Gutenbergius reliquit, poſt mortem ejus Conradus Homerius, Jurium Doctor, civitatis Moguntinæ Syndicus, poſſedit, qui non extra urbem ſe ea venditurum eſſe Electori promiſit. (*b*) Illo itaque anno Gutenbergius jam ad plures abierat, ſexagenario major. Quæ enim per quindecim fere annos Argentorati geſſerat, antequam rediiſſet Moguntiam, ætatis jam adultæ virum demonſtrant.

(*b*) Charta a. 1468. die Antonii data, extat quoque loco alleg.

CAPUT X.

Gutenbergii Succeſſores Argentinæ uſque ad Sec. XVI.

§. 1.

DE primis Gutenbergii Argentorati ſociis eorumque ſucceſſoribus ſupra obiter diſſerui; (*i*) nunc de ſingulis agendum diſtinctius, ut Argentinenſium typographicæ origines & progreſſus eo melius intelligantur. Primarius ſane locus debetur Mentelio.

Menteliam, (*k*) Alſatiæ gentem, ex Rhætica Nobilitate derivat JACOBUS MENTELIUS. (*l*) De prima gentis origine non equidem diſputo. Id autem ex ſcriniis Argentinenſibus diſco, Seleſtadii, Molshemii atque Andlaviæ olim habitaſſe Mentelios; ordinis plebeji, ex quibus Argentinenſis noſter haud dubie prognatus. Prima certe vitæ ejus conditio nobilitatem non ſapuit. Fuit enim aurarius & miniarius ſcriba; Calligraphus inter Notarios Epiſcopi receptus. (*m*) Ars literas ſcribendi atque pingendi

Jo. Mentelius.

(*i*) Cap. IV.

(*k*) Nomen Joannis Mentelii vernacule *Mentel*, *Mentele* & frequentius *Mentelin* ſcribitur.

(*l*) In *Præneſt*, de qua ſupra Cap. V. §. 7. In libro hoc *pag.* 101. *ſq.* ait, oppidum, Menteliorum de nomine appellatum, in Rhætia extare, in quo gentis illius primores olim dominati ſint.

(*m*) Extant adhuc hinc inde inſtrumenta a Jo. Mentelio Notario confecta.

occaſionem ei dedit, ut Gutenbergio & ſociis innoteſceret brevi, atque adeo animum ad typographiam converteret.

§. 2.

Ætas ejus. Prima Mentelii mentio in Rationali Gabellæ vini (*n*) Civitatis noſtræ a. 1447. occurrit, ubi *Chryſographus* (*o*) appellatur. Eodem anno (*p*) in numerum Civium Argentinæ receptus, in tribum tranſivit Pictorum. Tum vero typographicam artem haud dubie tractare jam cœperat. Quot annis enim opus, ut eam perficeret. Habitavit in ædibus, quarum inſigne fuit *Spiritus*; ſed ignota platea. SPECKLINUS (*q*) tradit, eum habitaſſe in domo, cujus inſigne *Vivarium*, prope Aulam Epiſcopi. (*r*) Ex Regiſtro Stabuli Civitatis patet, Mentelium a. 1473. & ſequentibus equum publicum ſua pecunia aluiſſe. Opulentiam ejus, ut ſupra oſtendi, (*s*) WIMPHELINGIUS prædicat.

§. 3.

Ingenium. Ingenium & induſtriam ejus, quibus opes ſibi paravit, ingens voluminum impreſſorum & numerus & moles teſtantur. GEBVILERUS, Eggenſteinio præ aliis eum familiariter uſum eſſe tradens, (*t*) hæc inſuper refert: " Con-

(*n*) *Helbeling-Zollbuch* ſub rubro: *Goltsmide*, in Document. Num. VII.
(*o*) *Herr Johans Mentele, Goltſchriber.*
(*p*) Tertio die poſt Quaſimodogeniti &c.
(*q*) In *Chronico* Mſ. apud SCHILTER. in *not. ad Kœnigshov. pag.* 442.
(*r*) *Zum Thiergarten am Fronhoff.*
(*s*) Cap. III. §. 12.
(*t*) Vide ſupra Cap. III. §. 8. in notis.

„ ſpeximus

„ ſpeximus & libellum Joannis Mentelii manu ſcriptum, „ ac multis figuris inſtrumentorum ei arti neceſſariorum „ depictum. Item de atramento conficiendo elegantiſſima „ præcepta; quæ monumenta Jo. Schottus, Argentinen„ ſis, & doctrina & hac arte celebris, prædicti Jo. Mente„ lin ex filia nepos, hodie penes ſe illæſa retinet."

§. 4.

Jo. Mentelii in parentes pietatem duo anniverſaria demonſtrant, quæ ille in choro & in parochia S. Laurentii, in ſummo templo, quotannis celebranda inſtituit. (*u*) Quin & a. 1473. lapideam tabulam formæ quadratæ oblongæ in ædis D. Guilielmi periſtylio Mentelius poſuit, (*x*) in quo non modo parentum, ſed & uxorum ejus, fit mentio. En lapidis inſcriptionem: Parentes.

MEMORIA. JOHANNIS
MENTELIN. CIVIS. ARGENT.
PARENTUM. SUORUM. NICOLAI
ELYZABETH. MAGDALENE. PRIME. UXORIS
ET. LIBERORUM. SUORUM. NEC. NON. ELYZABETH. DE
MATZENHEIM. (*y*) UXORIS. SUE. SECUNDE.
ANNO DN̄I. M. CCCC. LXXIII.

(*u*) A. 1474. XII. Kal. Julii 20. libras denar. dedit ad reditus annuos unius libræ denar. in uſum chori. Die autem XI. Kal. Julii ejuſdem anni in S. Laurentii parochia anniverſarium fundavit. *Kalendar. Summi Templi.*

(*x*) Unde in Aulam meam antiquariam tranſivit.

(*y*) SCHILTER. in *Obſervat. ad Kœnigshov. pag.* 451. monumentum hoc memorans pro Matzenheim *Watzenheim* ponit.

Bayerische Staatsbibliothek München

§. 5.

Inſignia. Duo anguli ſuperiores lapidis duo inſignia continent, Leonem coronatum & Baltheum tranſverſum. Hic Matzenhemiæ gentis clypeus fuit; (z) ex qua uxor ſecunda, Eliſabetha, tum vivens, prodierat. Baltheus Mentelianus, Baltheo Civitatis Argentinenſis, quem duo paraſtatæ leones ſuſtinent, ſimilis induxit Schilterum, ut inſignia urbis monumento huic inſculpta exiſtimaret.

Leo autem a Friderico IV. Imp. pro inſigni gentilitio a. 1466. Mentelio datus eſt, ut JAC. MENTELIUS (a) ſcribit. Non opus eſt ergo, ut Leonem heic paraſtatam otioſum faciamus; nec paraſtata profecto poteſt appellari, qui ab altera lapidis extremitate ſolus comparet, quod artis heraldicæ regulis repugnat. Ceterum ipſa hæc inſignia, a Cæſare accepta, oſtendunt, Mentelium antea nulla habuiſſe, adeoque ortu ſuo non fuiſſe nobilem. Jac. Men-

(z) HERZOG. *Chron. Alſat. Lib. VI. pag.* 193. Matzenhemia gens cum Johanne a. 1530. extincta eſt.

(a) In *Paræneſi pag.* 102. *ſqq.* ubi jactat Fridericum Imp. non nova hæc Mentelio dediſſe inſignia, ſed vetera tantum auxiſſe. Adde ejuſdem MENTELII *Excurſum de Inv. Typogr. ad Naudæum p.* 7. In utroque Scripto inſignia exhibentur æri inciſa, cum hac perigraphe: *Inſigne Schottorum familiæ ab Friderico Rom. Imp. Joanni Mentelio primo typographiæ inventori ac ſuis conceſſum anno Chr. MCCCCLXVI.* Ita Joh. Schottus, Mentelii ex filia nepos, Onomaſtico Ottonis Brunfelſii, a. 1543. a ſe impreſſo, ea præfixit. Inſignia hæc per filiam Mentelii tranſire potuerunt ad Schottos, Cæſaris permiſſu. At Imperator nec in diplomate, nec in inſcriptione diplomatis Mentelium artis inventorem appellavit.

telius asserit, sed non probat, Imperatorem Joanni Mentelio vetera tantum renovasse insignia.

§. 6.

Obiit Mentelius a. 1478. & in summo templo sepultus est, ut ex libro Pulsuum (*b*) ejusdem Ecclesiæ docemur. Ita enim ibi legimus: "Obiit Dominus Johannes Mentelin Impressor Sabatho post Conceptionem Virginis Mariæ a. MCCCCLXXVIII. & factus est ei pulsus cum campana magna, Dominica sequenti de sero. (*c*) Mors.

Filium Mentelius nullum, quod novimus, (*d*) sed duas filias reliquit, quarum una, Salome, Adolpho Ruschio, Ingvilano, civi & typographo Argentinensi, de quo infra; altera Martino Schotto, typographo quoque, nupsit. Liberi.

Specklinus noster (*e*) Mentelii affinem constituit Petrum Schœfferum, qui matrices invenit. Sed ejus relatio falsa.

(*b*) *Glocken-Läutung vor die toden.*

(*c*) Jac. Mentelius de *Typograph. pag.* 93. postremas duas Inscriptionis hujus voces omittit, ut & Schilterus *pag.* 451.

(*d*) Monumenta nihil produnt de filio; quem si reliquisset, typographiam patris occupaturus fuisse videtur. Jac. Mentelius ille Castro-Theodoricianus in *Paræneſi* sua *pag.* 102. proavum suum appellat Joannem, qui ex Alsatia ad Castrum Theodorici in Galliam a. 1548. migraverit. Addit, Joannem hunc ordine quartum a nostro Mentelio fuisse, cui typographiæ inventionem adscribit. At Genealogiam hanc Auctor non probat; qui forte a fratre aut consanguineo quodam Mentelii, typographi nostri, descendit.

(*e*) In *Chron. MS.* apud Schilter. ad *Kœnigshov. pag.* 442.

§. 7.

Henricus Eggeſtein. HENRICUS EGGESTEIN, Magiſter Artium, (*f*) Vicarius ſummi Chori & Epiſcopalis Curiæ Argent. Sigillator, (*g*) origine Argentinenſis, a. 1442. inter cives receptus & in laterculo civium Conſtafleriis ſubjunctus eſt. (*h*) A. 1451. Agnetem, Michaëlis Ochſenſteinii ſororem, ſibi matrimonio junxit. Habitavit in platea, cui a *Virginibus* nomen. (*i*) Occulta ei aliquandiu cum Jo. Mentelio typographica ſocietas fuit. (*k*) Libros ab Eggeſteinio impreſſos ſupra indicavi. (*l*)

§. 8.

Adolphus Ruſchius. ADOLPHUS RUSCHIUS, Ingvilla, Dynaſtiæ Ingvillanæ oppido, (*m*) ortus, civitate Argentinenſi donatus, Mentelii filiam, Sâlomen, præſtitæ in typographia operæ præmium, uti Petrus Schœfferus Fauſti filiam, in matrimonium accepit. Succeſſit ergo in officina ſocero, quod WIMPHELINGIUS (*n*) & HEDIO (*o*) teſtantur. Codices tamen impreſſos, Ruſchii nomen præferentes, non novi. Habitavit in ædibus, quarum ſignum erat *Imago*, in ſtrata

(*f*) Unde in notitia libris ſubjuncta *M. Henr. Eggeſtein* legitur.
(*g*) *Biſchoflicher Inſigeler.*
(*h*) *Unter die Nach-Conſtofeler.* Ante Mentelium itaque toto quinquennio factus eſt civis.
(*i*) *Jungfrauen Gaſſ bey S. Stephans plan.*
(*k*) Vide ſupra Cap. III. §. 8.
(*l*) Cap. IV.
(*m*) De quo *Alſatiæ Illuſtr. Tom.* 2. *pag.* 223.
(*n*) *Epit. Rer. Germ. Cap. LXV.*
(*o*) *Paralipom.* ad a. 1446.

Digitized by Google

ſuperiore. (*p*) Salome Ruſchia, poſt mortem mariti, Philippo Sturmio a Sturmeck, viro nobili, nupſit, obiitque a. 1518. *Rauſchenburg* caſtrum, haud procul Ingvilla ſitum, a Ruſchio hoc forte nomen accepit; unde typographiæ ibi inventæ fama ſurrexit. (*q*)

§. 9.

Martinus Schottus, Friderici Schotti, Sculptoris Statuarii & Civis Argent. filius; Joannis Mentelii filiam anonymam duxit uxorem; ex quo matrimonio Jo. Schottus prodiit; illuſtris typographus. Martinus *Lucubratiunculas* Petri Schotti, Canonici ad Juniorem D. Petri Eccleſiam, a. 1498. procurante Wimphelingio impreſſit. Petrus hic, magna eruditione apud Gallos Italosque parata, juvenis deceſſit. Martinus Schottus.

§. 10.

Joannes Schottus, Martini filius, Jo. Mentelii per filiam nepos, civis & typographus Argent. habitavit primo in Angiportu Thomano; (*r*) dein Pruſſio defuncto in ædibus, quarum inſigne *Vivarium*. (*s*) Moris tum erat, domos per inſignia diſtinguere, quod adhuc Baſileæ & alibi in uſu. In frontiſpicio librorum Schottus *Jo. Sco-* Johannes Schottus.

(*p*) *Zum Bild, in der obern ſtraſſen.* At auctor anonymus Chronici Argent. Specklinus & Schadæus domicilium ei adſcribunt *Luſtrum, zum Thiergarten*, ubi Pruſſius dein habitavit.

(*q*) Vid. *Alſat. Illuſtr. Tom.* 2. *pag.* 237.

(*r*) *Thomans-Loch*, ad urbis pomœria, in domo, cujus inſigne *zum Jung brunnen.*

(*s*) *Zum Thiergarten*, e regione Palatii Epiſcopalis, in extremitate areæ majoris Eccleſiæ.

tum ſubinde ſe vocat. Antequam Argentorati conſideret, Friburgi & Baſileæ typographiam exercuit, teſtibus libris, quos ibidem impreſſit. (*t*) Argentorati vero anno 1510. *Symmachi Epiſtolas*, & triennio poſt *Ptolemæi Geographiam* Latine, typo formaque præſtanti, curantibus Jacobo Eſzlero & Nic. Ubelino, Argentinenſibus, excudit. Repetita hæc editio a. 1520. cura Georgii Ubeli, Guilielmo Epiſc. Argent. a ſecretis. In utraque elegantes Geographicæ mappæ ligno inciſæ ſunt. Has denique ſecuta eſt Gruningeri editio, de qua infra. A. 1514. *Enchiridion Poëticum*, quod ipſe conſcripſerat, nec non *Plauti Comœdias IV.* cum præfatione Phileſii Vogeſigenæ & Plauti vita excudit. Idem Jo. Schottus bis impreſſit *Hutteni Expoſtulationem*, librum hodie perrarum, in quo Eraſmus, cum male habitus eſſet, de Schotto apud Magiſtratum Argent. querelas movit. (*u*) Huttenus Expoſtulationi ſuæ imaginem Lutheri, Eraſmi, ſuamque præfixerat.

§. 11.

Georgius Huſner. GEORGIUS HUSNER, præter *Nideri Opus*, quod ſupra indicavi, (*x*) *Hugonis* quoque *de Prato Florido Sermones Dominicales* ſuper Evangelia & Epiſtolas, a. 1476. in fol.

(*t*) Inter hos *Margarita Philoſophica* mihi ad manus eſt, Friburgi & Baſileæ a. 1503. & 1508. per Johannem Schottum Argent. edita. In editionis prioris legitur fine: " Chalcho-„ graphatum primiciali hac preſſura Friburgi per Joannem „ Schottum Argent. citra feſtum Margarethæ anno gratiæ „ M. CCCCC. III. " In editione poſteriore: " Tertio indu-„ ſtria complicum Michaëlis Furterii & Joannis Scoti ſtudio-„ ſiſſime preſſa. Baſileæ ad 14. Kal. Martias. Anno Chriſti 1508.

(*u*) In libro, quem *Spongiam* inſcripſit, *Operum Eraſmi Tom. X.*

(*x*) Cap. IV. §. 13.

impreſſit, pro Georgio *Jeorium* ſe vocans. Maittairius, Orlandius, Marchandus & Schwarzius *Leorium* nominarunt.

§. 12.

MARTINUS FLACH, Baſilienſis origine, Ruſchio in Menteliana typographia ſucceſſit, ut Wimphelingius teſtatur & Hedio. Jus civitatis a. 1472. Argentinæ adeptus eſt. Latine *Flaccus* appellatur. Poſt *Roderici Speculum*, a. 1475. editum, (y) *Alexandri Grammatica* a. 1488. & *Alberti*, Epiſcopi Ratisbonenſis, *Tractatus de Virtutibus* a. 1498. aliaque ex officina ejus prodiere. Martinus Flach.

Patrem ejuſdem nominis filius in officina typographica ineunte ſeculo XVI. excepit, dictus in libris *Junior*. Anno 1501. *Matthiæ Granarii* vel *Schurerii*, celebris deinceps apud Argentinenſes typographi, *Grammaticam novam* 4°. & *Anſelmi*, Archiepiſcopi Cantuar. *Opuſcula* fol. publici juris fecit. Anno ſequenti *Angeli de Clavaſio Summam Angelicam*, poſt iteratam a patre ejuſdem impreſſionem, de novo excudit, quartamque *Gerſonis Operum* partem tribus prioribus, quas pater ediderat, adjecit. Filius.

§. 13.

JOHANNES PRÜSS. Duo quoque hujus nominis typographi Argentinenſes fuere; pater & filius. Ille *Rolevinckii Faſciculum Temporum* fol. minore, & *Dictionarium Latino-Germanicum* 4°. a. 1488. poſtque alios magno numero libros a. 1504. *Pici Mirandulani Opera* cum præfatione Hier. Emſeri ad *Jo. Prüs, Argentinum Chalcographum*, & Jo. Prüſſ.

(y) Vid. ibidem.

Roderici Speculum vitæ a. 1507. in fol. impreſſit; in cujus fine hæc legimus: " Joh. Botzhemus abſtemius, D. D. Jac. „ Wymphelingius Seleſtadienſis patria, L. Symphorianus „ Pollio ſacerdos recognoverunt. Joh. Prys, civis Argen„ tinus, in ædibus Luſtri, vulgo *zum Thiergarten*, impreſ„ ſit ad morem gerendum generoſo Domino Philippo, Do„ mino in Duno & Lapide ſuperiore, (*Oberſtein*) Argenti„ nenſis eccleſie Prepoſito, & ad preces Pauli Burger ejuſ„ dem ſummiſſarii. Pridie idus Januarii anno ſalutis MDVII.

Jo. Pruſſius junior *Alexandri Galli Grammaticam* 4°. anno 1513 impreſſit.

§. 14.

Renatus Beck.

RENATUS BECK. Duplex officina typographica in ædibus *Luſtri* ſeu Vivarii uno eodemque tempore fuit. Ad Pruſſios una, ad Renatum Beck altera ſpectavit. De hoc teſtantur *Vocabularium*, *Gemma gemmarum*, a. 1512. & *Mantuani Bucolica* a. 1517. 4°. a Renato Beck *zum Thiergarten* excuſa.

§. 15.

Matthias Hupfuff.

MATTHIAS HUPFUFF, typographus Argentinenſis haud ignavus, cui plurium librorum editio a. 1498. & ſequentibus facta debetur. Inter hos Doctorum Pariſienſium *Tractatulus medicinalis* ad Regem Angliæ 4°. ſupereſt, in quo *Matbias Hipfuf*, nomen ejus ſcribitur.

§. 16.

Marcus Reinhardi.

MARCUS REINHARDI. A. 1480. *Guidonis de Monte-Rochero Manipulum curatorum* 4°. & a. 1482. *Biblia Latina vulgata*

vulgata fol. minore impreſſerunt *Marcus Reinhardi de Argentina* ac *Nicolaus Phillippi de Benſzheym* (z) *ſocii.* Biblia hæc, typis fuſis minuſculis, ſed elegantibus exarata, literis initialibus impreſſis & cuſtodibus inſtructa, perfectum opus typographicum, paginarum tantum numeris carent. Eodem hoc anno typographos hos Argentina Lutetiam migraſſe, MAITTAIRIUS (*a*) annotavit.

§. 17.

JO. GRUNINGERI proprium nomen fuit *Reinbart*, patria Gruninga, Wirtenbergici Ducatus oppidum, unde vulgo *Gruninger*, *Grieninger*, *Gruningenſis* eſt dictus, uti Marcus Reinhardi, diſcriminis cauſa, *de Argentina* ſe dixit. Anno 1483. *Comeſtoris Hiſtoria Scholaſtica per Jo. de Greningen & Henr. de Ingviler* in fol. prodiit Argentorati. In *Jordani de Quedlinburg Sermonibus de Sanctis*, quos anno ſequenti impreſſit, *Joh. de Gruningen impreſſorie artis Magiſter* appellatur. (*b*) A. 1496. & 1498. ex prelo ejuſdem Terentius & Horatius prodierunt forma majore, cum notis & figuris ligno inciſis. In calce *Terentii* legitur: "Impreſſum in Im- „periali urbe libera Argentina per Magiſtrum Jo. Gruninger accuratiſſime nitidiſſimeque elaboratum & denuo re- „viſum atque collectum ex diverſis commentariis anno „incarn. Dom. milleſimo quaterque centeſimo nonageſimo „ſexto. Kal. Nov. Jo. Gruninger.

Horatius ita inſcribitur: *Horatii Flacci Venuſini Poete lirici opera* &c. In calce: "Elaboratum impreſſumque eſt hoc

(z) MAITTAIRE *Annal. Typogr. tom. I. pag.* 164. *edit. prioris*, & *pag.* 429. *edit. poſter.* pro Benszheym male *Gernsheym.*
(*a*) *Lib. alleg. tom. I. pag.* 148.
(*b*) MAITTAIRE *Annal. Typograph. edit. poſter. pag.* 456.

„ elegans, ornatum, ſplendidum comptumque Horatii „ Flacci Venuſini, lyrici Poete, opus, cum utiliſſimis ar- „ gumentis ac imaginibus pulcherrimis, in celebri libera „ imperialique urbe Argentina, opera & impenſis, ſedulis „ quoque laboribus providi viri Johannis Reinhardi, co- „ gnomento Gürninger (ſic) civis ejuſdem urbis Argenti- „ nenſis, quarto idus Marcii, abſolutum vero Anno Dom. „ M. CCCC. XCVIII.

Præmiſſum eſt epigramma Jacobi Locher, Philomuſi, Poëtæ laureati, qui in Friburgenſi gymnaſio docens, opus iſtud direxit, atque Carolo, Marchioni Badenſi, dedicavit.

§. 18.

Editio Ptolemæi. Idem *Ptolemæi Geographiam*, Bilibaldo Pirckeymhero interprete, cum tabulis geographicis ligno inciſis, a. 1525. Argentorati impreſſit. In hujus libri colophone legitur: " Ar- „ gentoragi Johannes Grieningerus communibus Johannis „ Koberger impenſis excudebat, anno a Chriſti nativitate „ MDXXV. tertio Kal. Apriles." Pro *Argentoratum* Wimphelingius ſubinde ſcripſit *Argentoracum*. Eadem forma Matthias Schurerius, typographus, quandoque uſus eſt. Gruningerus non ſine conſilio poſuit *Argentoragi*, ut nomen hoc *Brocomago* affimilaret. Singula Ptolemæi hujus foliorum latera figuris, affabre ligno inciſis, exornata ſunt. Impenſæ in librum faciendæ fecerunt, ut ſocium aſſumeret Johannem Kobergerum, qui alias Coburger vocatur, Noribergenſem typographum illuſtrem, qui per omnem Germaniam bibliopolia inſtituit, libroſque innumeros maximæ molis & impenſæ vulgavit. Gruningeriana hæc Ptolemæi editio longe præſtantior eſt præcedentibus, quas Jo. Schottus a. 1513. & 1520. Argentorati quoque dederat. Geo-

graphicis tabulis præfationes ſunt additæ, quarum auctor Jo. Muller Regiomontanus eſſe creditur; inſignis ille Mathematicus, de quo ſuperius jam actum. (*c*) Koburgerus ex manuſcriptis Regiomontani ea, quæ Ptolemæum reſpiciunt, Gruningero noſtro communicaſſe videtur; unde ſocietatis eorum origo. Decennio poſt Michaël Servetus, ſub nomine Mich. Villanovani, Ptolemæi Geographiam edidit Lugduni, in qua pleraſque præfationes Gruningerianæ editionis adhibuit, paucis de ſuo adjectis. Præfationes tamen hæ ex Serveti calamo fluxiſſe tam certo credebantur, ut judices ejus ex illis loca deſumſerint, quibus eum impietatis accuſarent in Moſen. Accuſationem facile retudiſſet Servetus, ſi plagiarium ingenue ſe fuiſſet profeſſus. At eum ab initio quidem auctorem ſe loci, ubi de Moſe eſt ſermo, negaſſe, poſtea vero defenſionem ejus in ſe ſuſcepiſſe, ſcribit CALVINUS. (*d*)

MARCHANDUS (*e*) XLV. Volumina, pleraque majoris formæ, quæ ab a. 1483. uſque ad 1527. Gruningerus impreſſit, ordine temporis enumerat. His tamen e Bibliothecis Argentinenſibus addere non pauca poſſem, ita ut ex omnibus Argentinenſium typographis annorum & laboris, in officina conſumtorum, multitudine Gruningerum ſuperaverit nullus.

(*c*) Cap. I. §. 6.

(*d*) MOSHEMIUS in *Hiſt. Serveti pag.* 162. *ſqq.* qui & ipſe credidit, præfationes has opus fuiſſe Serveti. Contrarium tamen ex collatione editionis Gruningeri cum Servetiana elucet. Collationem inſtituit Vir literati ingenii, JOH. MARTINUS PASTORIUS, Jureconſ. Doctor Argentinenſis, quæ extat in *Miſcellaneis Lipſ. Novis Vol. X. Part.* 2. *pag.* 274.

(*e*) *Dictionnaire Hiſtorique pag.* 289.

§. 19.

Henricus Knoblochzer. HENR. KNOBLOCHZER varios libros atque libellos Germanici idiomatis, ut *Proceſſum Judiciarium*, *Belial* dictum, cum figuris a. 1478. (*f*) *Ordinem Judiciarium* anno 1482. *Calendarium*, ex Germanicis primum, cum annotationibus a. 1483. alioſque Argentorati in lucem emiſit. (*g*)

Jo. Knobloch. Filius ejus fuiſſe videtur JOH. KNOBLOCH, nomine paululum ad euphoniam mitigato. A. 1500. *Apologeticum Gregorii Nazianzeni & Marſilium Ficinum de triplici vita*; anno 1507. *Seb. Brand Elegiam* in mortem Philippi, Regis Caſtellæ, filii Maximiliani I. Imperatoris; anno 1513. *Jo. Adelphi*, Phyſici Argent. *Hymnos de tempore & de Sanctis* 4°. anno ſequenti *Jo. Gerſonis opera* quatuor tomis in fol. impreſſit, Wimphelingio curante.

§. 20.

Schurerius. MATTHIAS SCHURERIUS, patria Seleſtadienſis, liberalium artium Magiſter, Thomæ Wolphii amiciſſimus, (*b*) amicus quoque Eraſmi, (*i*) optimos & ſelectos antiquitatis libros ex prelo ſuo emiſit, numero ſat magno, qui omnes tamen ad ſeculi XVI. initia pertinent. Indicavi ſuperius *Grammaticam* Schurerii, ſub *Granarii* nomine laten-

(*f*) De quo ſupra Cap. IV. §. 14.

(*g*) In libro a. 1484. edito, cujus tit. *Tucher von Nurnberg wie man ſich halten ſol der zu dem heil. grab uber mer faren wil*, fol. typographus noſter *Heinrich Knoblitzer* vocatur.

(*b*) Teſte WIMPHELINGIO in *Rer. Germ. Epitome Cap. 65.*

(*i*) Qui quanti eum fecerit, ipſe perſcribit ad Wimpheling. in epiſtola *Commentariis* ſuis *de Verborum ac rerum copia*, anno 1514. a Schurerio impreſſis, ſubjuncta.

Digitized by Google

tis, a. 1501. datam in lucem. (*k*) Poſtea Typographus factus libro a. 1508. a ſe impreſſo, quo *Athanaſii* opuſculum in *Pſalmos*, *Enchiridion Epicteti* & *Tabula Cebetis* continentur, quæque Thomas Wolphius junior collegit, hæc in fine adjecit: " Mathias Schurerius artium doctor id libelli veluti „ primitias ex officina ſua impreſſoria fœliciter emiſit, die „ VIII. junii a. MDVIII. "

A. 1509. *Sermones* quoſdam *Ambroſii Camaldul.* cum præfatione ſua ad Martinum Egershemium, populi Seleſtadini paſtorem, publicavit. In rubris librorum ſuorum nunc *Seleſtadenſem*, nunc *Helvetenſem* ſe vocat, Wimphelingii atque Rhenani conjectura nixus, qui Helvetum veterem in Seleſtadio quæſiverunt. (*l*) Hoc ſenſu WIMPHELINGIUS (*m*) Alſatas appellavit *Helvetios*. Unde Schurerius noſter Helveticis quandoque male annumeratur typographis. (*n*)

§. 21.

WOLFGANG KOEPFEL prope forum equinum officinam ſuam habuit. Capito, Zellius, Bucerus, ſacrorum apud Argentinenſes mutatorum auctores, typographo hoc, ut & Knoblochio, uſi ſunt. Anti-Lutherana Gruningerus impreſſit. Doctor Wolfgangus Fabritius Capito, Hagenoënſis origine, vernaculum forte nomen *Kœpfel* mutavit in *Capito*, ejuſque exemplo typographus, Capitonis gentilis, Græca appellatione *Cepbaleum* ſe dixit. Id certum, quod ſub nomine utroque in rubro librorum compareat; Kœpfel.

(*k*) §. 12. pag. 103.
(*l*) Vid. *Alſatiæ Illuſtr. tom. I. pag.* 204.
(*m*) In *Opuſculis* PETRI SCHOTTI fol. 186.
(*n*) ENGEL in Diſſert. de *Origine Typographiæ*, Bernæ edita a. 1742.

Latinum Capitonis nomen, ob reverentiam in Wolfgangum agnatum, aſſumere non auſus. A. 1523. *Apologiam* Germ. *Matth. Zellii* contra Epiſcopalem procuratorem fiſci; ſequenti *Liturgiam* minimæ formæ, quæ in articulo euchariſtico Zwingliani eſt ritus; (o) nec non *Capitonis* ſcriptum Germ. de lite inter Lutherum & Carolſtadium; a. 1525. ejuſdem *Capitonis Inſtitutiones Hebraicas*, Wolfgangus *Kœpfel* typis ſuis vulgavit. A. 1534. idem & *Petrus Brubach Homēri Odyſſeam* Græce ediderunt in forma octava.

Wolfgangi hujus filii fuiſſe videntur *Paulus* & *Philippus Cephaleus*, typographi fratres, qui a. 1554. *Corvinum* in Evangelia & Epiſtolas Dominicales, biennioque poſt *Luciani Dialogos*, Græce & Latine, cum Scholiis e prelo ſuo emiſerunt.

§. 22.

Rihelii. His omnibus ex ſeculo quoque XVI. Rihelios ſubjungo, quod typographiam Argentinenſem ſuis prelis illuſtrarunt. Triga eorum, Wendelinus, Joſias, Theodoſius, in libris occurrunt. Primus comparet Wendelinus, Calvini, cum Argentinæ degeret, & Jo. Sturmii, quin & Joannis Sleidani, amicus. Hic *Biblia* Germanica *Lutheri* anno 1535. *Calvini Inſtitutiones* a. 1539. & 1543. primam *Sleidani Commentariorum* editionem a. 1555. impreſſit, ac paulo poſt vita deceſſit. Anno 1556. *Ariſtotelis Ethicam*, cura Jo. Sturmii, Græce excuderunt Wendelini heredes. Secundam *Sleidani* editionem Joſias Rihelius anno 1559. dedit. Utraque formæ majoris eſt. Uterque frater, Joſias &

(o) Rubrum ejus: *Deutſche Meſs wie ſye yetzundt zu Straßburgk gehalten wirt.*

Theodoſius, Wendelini filii, per ſeculi XVI. decurſum & ultra ſequentis initia, libros magno numero ſeparatim evulgarunt.

Ceterum Rihelii genus ſuum Baſilea ducere videntur, vulgo dicti *Richel.* Bernhardus Richel a. 1474. *Speculum Saxonicum*, (*p*) a. 1475. *Roberti de Licio opus quadrageſimale*, (*q*) omiſſo nomine ſuo; a. 1478. *Card. Hugonis Poſtillam*, (*r*) Baſileæ impreſſit.

Rihelii apud Argentinenſes eo loco, quo apud Baſilienſes Frobenii, apud Francofurtenſes Wechelii, habebantur.

§. 23.

Sed & præter enumeratos hactenus typographos Argentinenſes, primo typographiæ inventæ ſeculo claros, alii quoque infimæ claſſis fuerunt: BARTH. KYSTELLER, (*s*) CHRISTIANUS EGENOLFF, (*t*) MICH. MAYER & BALTH. BECK, (*u*) GEORGIUS ULR. ANDLANUS, (*x*) CRATO MYLIUS, (*y*) Reliqui.

(*p*) PROSPER MARCHAND. *pag.* 65. ex SCHAMELII *Numburgo Literato.*

(*q*) LESSERI *Typographia jubilans Cap.* 2. *pag.* 82.

(*r*) *Lexici Hiſtor. Baſil.* ſupplem. in voce *Richel.*

(*s*) Impreſſit *Legendam de S. Anna* & Tract. de *fraternitate Roſarii Virg. Mariæ* a. 1501. 4to. *Foltzens Büchlein von den warmen Bädern, in Teutſchen reimen*, a. 1504. Officinam ſuam habuit *am Grüneck*, *Kuſtler* alias dictus.

(*t*) *Boleri Scholia in orationem Ciceronis pro Archia Poëta* 8. 1530.

(*u*) *Joſephi Jüdiſche Hiſtorien, Teutſch durch D. Caſp. Hedio*, fol. 1531. Balthaſar Beckius ſolus annis ſequentibus nominatur in libris.

(*x*) *Zmaragdi Abbatis in Evangelia & Epiſtolas explicatio* fol. 1536.

(*y*) *Joach. Camerarii Commentarius explicationis Iliados Homeri*

JACOBUS JUCUNDUS, (z) BLASIUS FABRICIUS, (a) SAMUEL EMMEL, (b) quos nominetenus nosse sufficiat.

§. 24.

Typographiæ abusus.

Typographia vix in lucem prodierat, quum & abusus prodiret, qui Argentinensem denique Senatum coëgit, ut typographis injiceret frena. Notat hos abusus JACOBUS WIMPHELINGIUS in *Isidoneo Germanico*, (c) ubi hæc observat: "Impressores nonnulli & eorum castigatores libel-„ lis & commentariis inutilibus & supervacuis insignes at-„ que præstantes titulos effingunt, quibus delusa Juventus „ facilius opera a se impressa precio comparent, nec satis „ putant laudari posse, quicquid ipsi noviter impresserunt. „ Glosas enim in Alexandrum & hujusmodi præstantissimas „ notabiles aureasque non verentur appellare, novaque no-„ vis exaggerant propter privatam suam utilitatem. De „ fructu vero & incremento studii nihil ad eos attinet. Sed „ quid mirum, si petulantiæ & avaritiæ impressorum frau-„ dibusque in puerilium opusculorum, quibus juventus „ deluditur, editionibus magna sit concessa libertas, cum „ nemo sit vel infulatorum, qui eos cogat, in rebus fidei „ & religionis nostræ imprimendis honestum moderamen „ & justam limam adhibere. Sinunt enim flamines per-„ sæpe in castigatissimis rei divinæ morum & orationum „ impressionibus universum clerum decipi, ære nequiter

1538. & 1540. Item *Cominæi Historia*, interprete Jo. Sleidano 1545. 4to.

(z) *Croci Comœdia Sacra*, cui tit. *Joseph*, 1542. 8vo.

(a) *Oelingeri Juris Elucidatio* 1555. 8vo.

(b) *Vita Fl. Josephi* Germ. per Casp. Hedionem 1556. fol.

(c) Cap. 16.

„ destitui,

„ deſtitui, totaſque diœceſes ſuas vitioſis falſiſſimiſque li-
„ bris turpiſſime contaminari.

Cenſores itaque librorum Argentorati jam a. 1504. ſunt conſtituti. Omnis librorum vel ſchedarum prohibita impreſſio, in quibus aliquid contra Papam, Imperatorem, Principes aut Civitates, vel contra bonos mores contineretur. Juſſu Senatus hæc Typographis propoſita ſunt a Petro Arge, Conſule, præſentibus Jac. Mugio & Conrado Duntzenhemio, Prætoribus; eademque renovata a. 1513.

Typographi noſtri ab initio ſuos quoque librarios, ſcribas vel *Clericos* habuerunt, qui libros imprimendos deſcribebant, & prelo ſubmiſſos corrigebant. Ante inventam typographiam in Argentinenſibus cataſtris a. 1433. Joannes Kirchheimenſis librarius (*d*) & Elſa uxor occurrunt. De librariis his Argentorati anno 1472. exorta eſt quæſtio, an ad jusjurandum adigendi. Magiſtratus eos a jurisjurandi præſtatione juſſit eſſe immunes. Quin & eodem anno de lege & norma typographis præſcribenda in Senatu relatum. Librarii.

(*d*) *Joh. von Kirchheim, Bucherſchreiber.*

CAPUT XI.

Typographi Alſatiæ extra Argentoratum.

§. 1.

EX typographico Argentinenſium ſeminario varii & multiplices artis magiſtri ad alias Alſatiæ civitates, quin & ad exteras pedetentim tranſierunt nationes.

HAGENOÆ.

Granius. HENRICUS GRAN & JOH. RYMAN junctim & ſingulatim typographiam exercuerunt. Granius *Cornutum* ſive *Grammaticam Jo. de Garlandia* a. 1489. ſolus; *Sermones de Sanctis* cum Rymanno a. 1497. (*e*) impreſſit. *Hungari Bigam Salutis* a. 1499. ſqq. 4°. & *Pelbarti Sermones de Tempore* a. 1502. ſqq. fol. ter quaterve; *Jac. Heinrichmanni Inſtitutiones Grammaticas* a. 1506. & 1512. nec non *Philelfi Epiſtolas* a. 1514. & 1521. bis ſolus quoque Granius edidit. Anno 1500. "Acta & Decreta generalis Concilii Conſtantienſis „ diligenter elaborata & impreſſa in Imperiali oppido Ha„ genow per induſtrium Henricum Gran, inibi incolam, „ expenſis providi viri Johannis Rynman. Finiunt feliciter „ A. S. 1500. 4°." Anno 1502. Jo. Ryman ſolus *Poſtilla Mag. Nicolai de Gorran*. Ord. Prædicatorum, fol. & anno 1505. *Claviſii Summam de Caſibus Conſcientiæ* fol. excudit.

(*e*) MAITTAIRE *Annal. typogr. tom. I. pag.* 304. CAILLE *Hiſt. de l'Imprim. pag.* 49.

§. 2.

Poſt hos THOMAS ANSHELMUS, Badenſis, Hagenoam libris, Græcis præſertim, editis illuſtravit, quos inter eſt *Novum Teſtamentum*, ex recenſione *Nic. Gerbelii*, in 4°. & *Heſychius*, duabus columnis impreſſus, in fol. Hi libri a. 1521. comparuerunt. Anshelmus.

In Heſychio hoc Anshelmus ciphras in utriuſque paginæ fine, ſub ſingulis columnis diſpoſuit. *Signaturas*, quas vocant, ſimiliter adhibuit; *reclamantes* autem voces, quæ dicuntur, omiſſæ ſunt. (*f*)

Sed & *Viridarium Poëtarum* & *Mantuani Bucolica* a. 1517. *Eraſmi Adagia* a. 1519. Ejuſdem *Quatuor Evangelia* liberius verſa a. 1521. *Felicis Pratenſis Pſalterium* ex Hebræo tranſlatum, *Melanchthonis* & *Manutii Inſtitutiones Grammaticæ* anno 1522. ex Anshelmi officina prodierunt.

GUIL. SELZIUS Hagenoæ duo illuſtria Carmina impreſſit: alterum *Gebvileri de Carolo V.* 1529. alterum *Triumphale*, quum Franciſcus I. a Carolo V. caperetur, a. 1525. Selzius.

§. 3.

At his longe præferendus eſt JOANNES SECERIUS, Melanchthonis amicus, plurimis Græcis & Latinis ſcriptis, in lucem emiſſis, (*g*) longe celeberrimus. Accuſatur ille, Secerius.

(*f*) CHEVILLIER *p.* 38. MAITTAIRE *Annal. typogr. tom. I. pag.* 266.

(*g*) A. 1525. *Melanchthonis Orationes variæ* 8vo. a. 1527. *Jac. Fontani de Bello Rhodio* Libri 3. fol. a. 1529. *S. Iſidori Hiſp.*

quod *Paſcaſii* Opuſculum *de Corpore & Sanguine Domini* imprimens Hagenoæ, Codicem corruperit, Jobi Gaſtii, Miniſtri Lutherani, conſilio uſus. (*b*) Accuſatur quoque Secerius, quod a. 1531. *Mich. Serveti Libros VII. de Trinitatis Erroribus* ex ſuo emiſerit prelo, Argentorati, Francofurti & apud Helvetios venditos. (*i*) Inſignia libris nonnullis præfigere ſolitus eſt Jani imaginem, (*k*) quam & domus ſuæ inſigne voluit eſſe Secerius, typographicæ arti, quam mire excoluerat, ſingularem literarum humaniorum cognitionem conjungens.

Brubach. PETRUS BRUBACH *Pici Mirandulani Epiſtolas contrarias* cum diſpoſitione Melanchthonis a. 1534. VALENT. KOBIAN *Confeſſionem Auguſtanam* cum ejus apologia anno 1537. Hagenoæ ediderunt in lucem.

COLMARIÆ.

§. 4.

Farckall. AMANDUS FARCKALL Colmariæ a. 1523. impreſſit *Poſtillam Lutheri* Germanice, fol. Idem eodem anno *Herodianum* Latine ex verſione Politiani, in 8°. typis Italicis

de nativitate, paſſione &c. Domini 4to. a. 1530. *Polybius* Græco-Latinus fol. a. 1533. *Melanchthonis Commentar. in Epiſtolam Pauli ad Rom.* 8vo. a Secerio impreſſi in Bibliotheca S. Johannis Hieroſol. Argentinæ ſervantur.

(*b*) Teſtimonia corruptionis dedit CHEVILLIER, *Origine d'Imprimerie de Paris, Part. 2. Cap. 8. pag. 213.*

(*i*) MOSHEIM in *Vita Mich. Serveti p. 145.* & LA ROCHE *Memoirs of Litteratur tom. I. pag. 246.*

(*k*) Hoc *Ariſtophanis* Νεφέλαι, ab eodem Hagenoæ a. 1528. nitide & eleganter impreſſæ in 4to. teſtantur.

Digitized by Google

dedit, pluresque alios hujus generis Auctores antiquos se editurum promisit.

BARTHOLOMÆUS GRUNINGER, Jo. Gruningeri, typographi Argent. fortasse filius, *Missa secundum veterem usum Ecclesiæ Constantinopolitanæ* 4°. & *Ambrosii Kempfii Evangeliis ac Epistolis*, Germanice, fol. a. 1540. & 1543. Colmariæ impressis, innotescit. Gruninger.

SELESTADII.

§. 5.

NICOLAUS GOTZ, Selestadiensis, a. 1478. *Rolevinckii Fasciculum temporum* impressit in fol. Ita enim in fine libri legitur: "Impressus a. 1478. a Nicolao Gotz de Seltz„ stat." An vero typographus hic, Selestadiensis origine, Selestadii quoque impresserit hunc librum, non liquet. (*l*) Gotzius.

LAZARUS SCHURERIUS, Selestadiensis, *Erasmi de Copia Rerum & Verborum Commentarios* a. 1519. annoque sequenti ejusdem *Encomium Moriæ*, & *Epistolam ad Electorem Mogunt.* de causa Lutheri, nec non *Epigrammata Sapidi*, Selestadii excudit. Matthiæ Schurerii, typographi Argent. Selestadio orti, agnatus fuisse videtur. Schurerius.

NICOLAUS KUEFFER libellum Lutheri, anno 1520. Wittebergæ editum, suo prelo recudit, a. 1521. (*m*) Kueffer.

(*l*) Liber extat in Carthusia Friburg.
(*m*) Titulus libelli: *Warum des Babsts und seyner Jüngern bucher von D. M. L. verbrant seyndt.* 4to.

CAPUT XII.

Typographi Alſatæ extra Alſatiam.

§. 1.

Lutetiæ. SED & ex Gutenbergii & Mentelii ſchola prodiit MICHAEL FRIBURGER, *de Columbaria* (*n*) dictus, qui una cum Ulrico Geringio & Martino Cranzio, ſodalibus quoque Germanis, typographiam a. 1469. adeoque ſub Ludovico XI. Lutetiam attulit.

Appellavit eos in urbem Johannes de Lapide, (*o*) origine Germanus, Prior Sorbonæ, in qua triumviri hi artem primum tractarunt. (*p*)

Geringius totius typographici operis fuerat director; qui BERTHOLDUM REMBOLT, typographum, in Argentinenſi Diœceſi natum, Lutetiam vocavit, ſibique ſocium adjunxit. Duo hi in Vico habitarunt Sorbonico, in ædibus, quarum inſigne *Sol aureus*. Artem omni ſtudio atque labore continuarunt.

Geringius a. 1510. deceſſit, poſtquam per quadraginta annos typographiam exercuiſſet Lutetiæ. Ex bonis ſuis Sorbonæ nonnulla legavit. (*q*) Nomen ejus hodieque inter bibliopolas Lutetiæ floret.

(*n*) *Colmar.*
(*o*) *Von Stein.*
(*p*) BULÆUS *Hiſt. Univerſitatis Pariſ. tom. V. p.* 918. NAUDE' *Addition à l'Hiſt. de Louis XI. Cap.* 7. CAILLE *Hiſtoire de l'Imprimerie p.* 54.
(*q*) CHEVILLIER *Orig. de l'Impr. p.* 96.

§. 2.

Neque vero Gallia modo, ſed & Italia ex Argentina Civitate typographos primos accepit. SIXTUS RUSINGER, Argentinenſis, a. 1471. Neapoli artem imprimendi primus monſtravit; Ferdinando Regi & Neapolitanæ Nobilitati cariſſimus. Huic ſæpe ab ipſo Rege Epiſcopatus & ampliſſimæ dignitates oblati ſunt; quibus omnibus patriam Argentinam prætulit. Vir ob dignitatem ſacerdotalem & ſenium reverendus, inquit WIMPHELINGIUS. (r) Neapoli.

§. 3.

Venetis denique Landavia noſtra typographum quoque JO. HAMMANNUM HERZOG, *de Landoja* dictum, transmiſit, qui cum Jo. Emerichio de Udenheim (s) Venetiis *Miſſale* ad uſum Eccleſiæ Pariſienſis anno 1487. impreſſit. Idem Hammannus deinceps ſolus *Tabulas Aſtronomicas Alphonſi Regis* a. 1494. eadem in urbe e ſuo prelo emiſit. (t) Venetiis.

(r) *Epitome Rer. Germ. Cap.* 65. HENR. PANTALEON *de Illuſtribus Germaniæ Viris Part.* 2. *p.* 397.
(s) Hodie Philippsburg.
(t) CAILLE *p.* 23. CHEVILLIER *p.* 112. MAITTAIRE *tom.* 1. *p.* 201. *tom.* 4. *p.* 228. & *p.* 544.

Epilogus.

Sincera hæc originum typographicæ artis, apud Argentinenſes exortæ, per Alſatiam & univerſos Europæ populos propagatæ, delineatio eſt; non vagis ratiociniis, non conjecturis ambiguis, quod pleriſque hujus argumenti Scriptoribus evenit, innixa, ſed ex genuinis & huc uſque incognitis rerum documentis depromta. Nihil ergo jam ſupereſt, quam ut ipſa hæc Documenta, ex authenticis Curiæ & Senatus Argentinenſis Actis, quæ ad hunc uſque diem latuerant, proferamus in lucem. Subjungemus & ea, quæ Capituli Argentinenſis Thomani Tabularium ſuggeſſit, ex quibus nonniſi brevia fragmenta hinc inde prodierant.

DOCU-

DOCUMENTA TYPOGRAPHICARUM ORIGINUM

EX

ARGENTINENSIBUS TABULARIIS ET BIBLIOTHECIS

NUNC PRIMUM EDITA.

Digitized by Google



Num. I.

Gutenbergius à Senatu Argentinenſi perſuaſus, Nicolaum, Civitatis Moguntiæ Grammateum, quem ceperat, dimittit, atque promiſſis ab eo extortis renuntiat.

A. MCCCCXXXIV.

EX LIBRO CONTRACTUUM.

ICH Johann Genſefleiſch der Junge, genant Gutemberg, kunde mit dieſem briefe. Als die Erſ. wiſen Burgermeiſter und Rat der Stadt zu Mentze mir jerliches ettliche zinſſe u. gülte verbunden ſint zu geben, nach innhalt der briefe, die da under andern luter innhalten, were daſſ ſie mir mine zinſſe nit richtetent u. bezableten, daſſ ich ſie denn mag angriffen, bekümbern u. pfenden. Wenn mir nun ettwie vil vergeſſener zinſſe von der obgenanten Statt Menze uſſeſtat, und mir von inen untzhar nit bezablet werden künten, darumb ſo habe ich meiner berlicher notdurfft halb zu Herrn Niclauſe Statſchriber zu Mentze griffen, u. er hat mir gelobt u. geſchworen dru hundert und X. guter Rhiniſcher gulden zu geben, zu weren und zu antwurten

gen Oppenheim in den hoff zum Lamparten miner Vettern Artgeld buſſ, binnen untz Pfingeſten ſchirrſt komen. Bekenne ich mit diſem briefe, daſſ die Meiſter und Rat der Stat Straſſburg ſo verre mir geret haben, daſſ ich inen zu eren und zu liebe denſelben Hern Niclauſen den Stattſchriber ſolicher behabung und gefengniſſe und auch der III^C. und X. gulden willeclich ledig geſeit habe. Datum *uff Sontag nach St. Gregorien tag des H. Pabſts A.* 1434.

VERSIO LATINA.

EGO Johannes Genſefleiſch, junior, dictus Gutemberg, notum facio his literis. Quum honeſti ac prudentes Viri, Conſules & Senatus Civitatis Moguntinæ, uſuras quaſdam & cenſus mihi quotannis debeant, teſtibus literis, quibus neglecta ſolutione aggrediendi illos, vexandi & capto pignore mulctandi jus diſertis inter alia verbis mihi tribuitur; Neque vero a pluribus retro annis prædicta Civitas Moguntina uſurarum quid dederit, dareque voluerit; ego neceſſitate compulſus Dom. Nicolaum, Scribam publicum urbis, aggreſſus ſum, isque jurejurando trecentos ac decem florenos Rhenenſes mihi promiſit, Oppenhemii in curia ad Leopardum, cognatorum meorum Artgeld domo, ante proximum Pentecoſtes feſtum numerandos. Jam vero his confiteor literis, Magiſtrum & Senatum Civitatis Argentinenſis mecum egiſſe, ut honoris & amoris ipſorum gratia Dom. Nicolaum iſtum, Scribam publicum, a captivitate ac trecentis decemque florenis illis liberum lubenter pronuntiaverim. Dat. die Dom. poſt feſtum S. Gregorii Papæ A. 1434.

Digitized by Google

NUM. II.

EX PROTOCOLLO SENATUS MAJORIS,

CUJUS RUBRUM:

Dicta Teſtium magni conſilii Anno Dni M°. CCCC°. Triceſimo nono.

Dis iſt die worheit die Jerge Dritzehen geleit hat wider Johan von Mentze genant Gutenberg, In præſentia *Claus Duntzenheim und Claus zur Helten.*

ITEM Barbel von Zabern die Koüffelerin hatt geſeit das ſü uff ein nacht allerleye mit Andres Dritzehen gerett habe und under andern worten ſprach ſü zu ime wöllent nit dolme gon ſlaffen, do habe er ir geantwurt Ich muſz diſz vor machen, Alſo ſprach diſe gezugin, aber hülffe Gott was vertünt ir gros geltes es möchte dolme über X. guldin haben coſtet, Antwurt er ir wider und ſprach du biſt ein dörin weneſtu das es mich nuwent X. gl. gecoſtet habe, höreſtu hetteſtu als vil als es mich über IIIc. bare guldin gecoſtet hett du hetteſt din leptage gnüg, und das es mich minder gecoſtet hatt dann Vc. gl. das iſt gar lützel one das es mich noch coſten würt darumb ich min eigen und min erbe verſetzt habe, Sprach diſe gezugin aber zu ime, heiliges liden miſſelinge uch dann wie woltent ir dann tun, Antwurt er ir uns mag nit miſſelingen, ee ein jor uſskommet ſo hant wir unſer houbtgut wider und ſint dann alle ſelig Gott welle uns dann blogen.

*Item frouwe Ennel Hanns Schultheiſſen frouwe des holtzmans hatt geſeit das Lorentz Beildeck zu einer zit inn ir hus kommen ſy zu Claus Dritzehen irem vetter und ſprach zu ime, lieber Claus Dritzehen *, Andres Dritzehen ſelig hatt iiij. ſtücke inn einer preſſen ligen,* do hatt Gu-

* Hic in Orig. ſeqq. verba deleta extant: *min Juncher Hanns Gutemberg hatt uch gebetten das.*

tenberg gebetten das ir die uſz der preſſen nement und die von einander legent uff das man nit gewiſſen kune was es ſy dann er hatt nit gerne das das jemand ſihet.

Diſe gezugin hatt ouch geſeit, Als ſye by Andres Dritzehen jrem vetter geweſen ſy do habe ſü jme deſſelben wercks dick helffen machen tag und naht, Sie hatt ouch geſeit das ſü wol wiſſe das Andres Dritzehen jr vetter ſelig in den ziten ſin pfenning gelt verſetzt habe ob aber er das zü dem werck gebrucht habe wiſſe ſü nit.

Item Hanns Sidenneger hatt geſeit das jme Andres Dritzehen ſelig dick und vil geſeit habe, das er gros gelt uff das egemelte werck geleit habe und jn vil coſtete und ſprach damit zü diſem gezugen er wuſte nit wie er darinne tun ſolte, Alſo antwurte jme diſer gezuge und ſprach, Andres biſtu darin kommen ſo müſtu je ouch darus kommen, Alſo ſprach Andres aber zü diſem gezugen er müſte das ſine verſetzen, antwurt jm diſer gezuge ſo verſetze es und ſage nyemand nutzit davon, das habe nu Andres geton, ob aber der ſumma uf die zit vil oder lutzel geweſen ſy wiſſe er nit.

Item Hannſz Schultheiſz hatt geſeit das Lorentz Beildeck zu einer zit heim inn ſin huſz kommen ſy zü Claus Dritzehen als diſer gezuge jn heim gefürt hette, Als Andres Dritzehen *ſin bruder ſelige von todes wegen abgangen was, und ſprach da Lorentz Beildeck zu Claus Dritzehen,* Andres Dritzehen uwer bruder ſelige hat iiij. ſtücke undenan inn einer preſſen ligen, da hatt uch Hanns Gutemberg gebetten das ir die daruſz nement und uff die preſſe legent von einander ſo kan man nit geſehen was das iſt, *Alſo gieng Claus Dritzehen und ſuchete die ſtücke do vant er nutzit, Diſer gezuge hat ouch geſeit das er vor guter zit von Andres Dritzehen gehört habe ee er von todes wegen abgangen ſy das er ſprach das werck hette jn me dann III^c. guldin coſtet.*

Item Cunrad Sahſſpach hatt geſeit das Andres Heilman zu einer zit zu jme komen ſy inn Kremer gaſſe und ſprach zu jme lieber Cunrad als Andres Dritzehen abgangen iſt da haſtu die preſſen gemaht und weiſt umb die ſache do gang dohin und nym die ſtücke uſz der preſſen und zerlege ſü von einander ſo weis nyemand was es iſt, *da nu diſer gezuge das tun wolte und alſo ſuchete das were uff* Sanct Steffanns tag *nehſt vergangen do was das ding hinweg, Diſer gezuge hatt ouch geſeit das Andres Dritzehen*

ſelige zu einer zit gelt umb jn gelehenet habe das habe er zu dem werck gebruchet, Er hatt ouch geſeit das Andres Dritzehen ſelige jme zu einer zit geſeit habe und clagete er müſte pfenning gelt verſetzen, ſprach diſer gezuge das iſt böſe, doch biſtu darin kommen, ſo muſtu ouch darus, und alſo wiſſe er wol das er ſin pfenning gelt verſetzt habe.

Item Wernher Smalriem hatt geſeit das er by iij. oder vier koüffe geton habe, wen aber das anegienge wiſſe er nit, und under andern iſt ein kouff geweſen by C. und XIII. guldin, an demſelben gelt hant ir drye für LX. guldin verſiglet do hatt Andres Dritzehen ſelige XX. angebürt, und uff ein zit vor dem zile ſprach Andres Dritzehen zu diſem gezugen er ſolte heim kommen und die XX. gl. nemen, Antwurt jme diſer gezuge er ſolte jme das gelt zuſamen bringen und inſammeln, das tett Andres, und alſo darnach kam Andres Dritzehen aber zu diſem gezugen und ſprach das gelt wer by einander inn Herrn Anthonien Heilman hus do ſolte er das holen, das tett diſer gezuge und nam das gelt inn Herrn Anthonien hus, und das überige gelt das habe allewegen Fridel von Seckingen bezalt.

Item Mydehart Stocker hatt geſeit Als Andres Dritzehen ſelige uff Sanct Johannis tag zu Winahten do man den Krutzgang tett ſich nydergeleit habe und ſiech wart do lag er inn dis gezugen ſtuben an eim bette, Alſo kam nu diſer gezuge zu jme und ſprach, Andres wie got es, Antwurt er jme ich weis werlich mir iſt gar tötlich und ſprach damit, ſoll ich ſterben ſo wolte ich das ich nye inn die geſelleſchafft kommen wer, ſprach diſer gezuge wie ſo, ſprach er aber do weis ich wol das mine brüdere mit Gutemberg nyemer uberkommen kunnent, *ſprach diſer gezuge, iſt dann die gemeinſchafft nit verſchriben oder ſint keine lute da geweſen, ſprach Andres ja es iſt verſchriben, do frogete jn diſer gezuge wie die gemeinſchafft zugangen wer, do ſeite er jme wie das Andres Heilman, Hanns Riffe, Gutemberg und er* (Andres Dritzehen) *inn eine gemeinſchafft kommen werent, darin hetten Andres Heilman und er jr jeglicher LXXX. guldin geleit, alz er behalten habe, Alſo ſü nu inn der gemeinſchafft werent do werent Andres Heilman und er zu Gutemberg kommen* (ſupple *zu*) *Sanct Arbogaſt do hette er nu ettliche kunſt vor jnen verborgen die er jnen nit verbunden was zu zeugen, darane hetten ſü nu nit ein gevallen gehebt und hetten daruff die gemeinſchafft abgeton und ein ander gemeinſchafft mitteinander verfangen alſo das Andres Heilman und er jr jeglicher zu den erſten LXXX. guldin ſo vil geben und legen ſolte das es V^c. guldin wurdent, und werent ſü zwene ein*

man inn der gemeinſchafft, und desglich ſoltent Gutemberg und Hanns Riffe jr jeglicher innſunders ouch als vil legen als die zwene, und daruff ſolte Gutemberg alle ſine kunſt die er kunde nit vor jnen verbergen, *und darüber wer ein gemeinſchafft brief gemaht worden, und wer das jr einre inn der gemeinſchafft abgienge ſo ſoltent die überigen gemeinere deſſelben abgangen erben C. guldin harus geben, und das überig gelt und was inn die gemeinſchafft gehorte ſolte dann under den andern gemeinern inn der gemeinſchafft bliben. Diſer gezuge hatt ouch geſeit das jme Andres Dritzehen ſelige zu der zit ouch geſeit habe ſo wiſſe er ouch das von jme ſelbs wol das er ettlich ſin pfenning gelt verſetzet habe, ob aber das vil oder wenig oder obe er das zu dem werck gebruchet habe oder nit wiſſe er nit.*

In præſentia *Diebolt Brant & Jocop Rotgebe.*

Herr Peter Eckhart lutprieſter zu Sant Martin dixit *das Andres Dritzehen ſelig in den Winahten virtagen noch jme ſchihte er ſolt ſin Bihte hören, und da er zu jm kam und er gerne gehihte da fragete jn diſer gezuge ob er yeman ſchuldig wer oder ob man jme ſchuldig wer, oder ob er utzit geben hette das ſolt er ſagen, da ſprach Andres er hette gemeinſchafft mit etlichen, Andres Heilman und andern, und da hette er wol II^c. guldin oder III^c. uſzgeleit das er keinen pfenig hette, und ſeit ouch das Andres Dritzehen dann zemol in den cleidern lege am bett.*

Thoman Steinbach het geſeit das Heſſe der underkouffer uff ein zit zu jm kam und frogte jn ob er keinen kouff wüſte do man lutzel an verlure wann er wuſte ettliche, und nante domit Johann Gutenberg, Andres Dritzehen und einen Heilman die bedörffte wol bar gelt, Alſo do kouffte diſer gezug jnen xiiij. Lützelburger und wuſte domit wol einen kouffman der ſü wider kouffen wolt, und verkouffte ſü ouch widerumb und wurdent bi den XII½ (12½) guldin daran verlorn und wart Fridel von Seckingen burge fur ſü und wart ouch in das kouffhus buch verſchriben.

Lorentz Beldeck het geſeit das Johann Gutenberg jn zu einer zit geſchickt het zu Claus Dritzehen, nach Andres ſins bruders ſeligen dode und det Clauſen Dritzehen ſagen das er die preſſe die er hünder jm hett nieman oigete zoigete, das ouch diſer gezug det, und rette ouch me und ſprach er ſolte ſich bekumbern ſo vil und gon über die preſſe und die mit den zweyen wurbelin uff dun ſo vielent die ſtucke voneinander, dieſelben

ſtucke

ſtucke ſolt er dann in die preſſe oder uff die preſſe lege ſo kunde darnach nieman geſehen noch ut gemercken, *und wenn jr leit uskeme ſo ſolt er zu Johann Gutenberg hinus kumen dann er het ettwas mit jn ze reden. Diſer gezuge iſt vvol ze vviſſen das Johann Gutenberg Andres ſeligen nut ze dun ſundern Andres Hans Gutenberg ze dun vver und jm ſollichs ze zilen geben ſolt, in den zilen er ouch abging. Er het ouch geſeit das er in nie keiner burſe bi jme geweſen ſig wann die burſe nach den Winahten anging. Diſer gezug het Andres Dritzehen ſeligen dick geſehen by Johann Gutenberg eſſen aber er geſach jn nie kein pfening geben.*

Reimbolt von Ehenheim het geſeit das er vor den Winahten unlang zu Andres kam und frogte jn was er alſo mehte mit den nötlichen dingen domit er umging, Antwurt jm Andres ſelige Es hett jn me dann V^c. guldin koſtet doch ſo hofftet er wann es us gefertiget wurde das ſü gelt loſten ein güt notdurfft, do von er diſem gezugen und andern gelt geben möhte und ouch alles das leides ergetzet wurde. Diſer gezug het geſeit das er jm des ſelben moles VIII. guldin lech wenn er gelt haben müſt. So hett ouch dis gezugen kellerin Andres ettwie dick gelt geluhen, Andres kam ouch zu einer zit zu diſem gezugen mit einem ring den ſchetzet er für XXX. guldin, den verſatt er jm ze Ehenheim für V. guldin hünder die Juden. Diſer gezug het ouch geſeit das jm wol wiſſen ſig das er im herbſt II. halb omen geſottens wins in zweyen veſſeln gemabt het do ſchanckte er Johann Gutenberg ½ (½) Omen und den andren halben omen ſchenckte er Midehart und ſchenckte ouch Gutenberg etwie vil biren, Andres bat ouch diſen gezugen zu einer zit das er jm II. halb fuder wins kouffte, das ouch diſer gezug dett, und von denſelben II. halben fudern hant Andres Dritzehen und Andres Heilman Hans Gutenberg das eine halb fuder gemein geſchenckt.

Hans Niger von Biſchoviſsheim het geſeit das Andres zu jm kam und ſprach er bedörffte gelts, dar umb ſo müſte er jm und andern ſinen lehenluten deſen getrangen dun, wenn er het ettwas under henden daruff kunde er nit gelts genug uffbringen, Alſo do frogte diſer gezug was er ſchaffen hett, Antwurt er, er wer ein ſpiegelmacher, Alſo do ſtalte diſer gezuge tröſchen und furte ſin korn gon Molſsheim und Ehenheim und verkouffte das do und bezalt jn. Diſer gezug het ouch geſeit das er und Reimbolt jm zu einer zit II. halb fuder wines koufften und furte es diſer gezug har, und alſo er kam bi Sant Arbegaſt do hatt er ouch ½ (½.) omen geſottens wins uff dem wa-

gen, den nam Andres und trug jn Johann Gutenberg heim, und ouch ettwie vil biren, und von denſelben II. halben fudern verſchanckte Andres ſelige und Andres Heilmann Johann Gutenberg I. halb fuder wins.

In bywesen Böſchwilrs.

Item Fridel von Seckingen hat geſeit, das Gutenburg ein kouff geton habe und das er fur jnen bürge würde und das er nit anders wuſt dann das es Her Anthonie Heilman ouch angieng, und das aber darnoch die ſchulde von des ſelben kouffs wegen bezalt worden ſy. Er hat ouch geſeit, das Gutenburg Andres Heilman und Andres Dritzehen jnen gebetten haben jr bürge zu werden, gegen Stoltz Peters dohterman vür CI. guldin, das habe er geton, alſo, das ſü drye jm deſhalp einen ſchadeloß brieff geben ſoltent, der ouch geſchriben und mit Gutenburgs und Andres Heilmans Inſigeln verſigelt würde, Aber Andres Dritzehen hette jn alles hönder jm und kunde jm von jm nit verſigelt werden, doch ſo habe Gutenberg ſolich gelt darnoch alles bezalt in der vaſt meſſe nehſt vergangen. Dirre gezuge hat ouch geſeit, das er von der obgenanten dryer gemeinſchafft nit gewiſſet habe, dann er nye dar zu gezogen noch doby geweſen ſy.

Gutenbergs Worheit wider Jörge Dritzehen.

In bywesen Frantz Berner und Böſchwiler.

Item Her Anthonie Heilman hat geſeit Als er gewar wurde das Gutenberg Andres Dritzehen zu einem dirten teil wolte nemen in die Ochevart zu den Spiegeln do betè er jn gar fliſſeclich das er Andres ſinen bruder ouch darin neme, wolte er zu mol gern umb jn verdienen, do ſpreche er zu jm, er enwuſte, Andres fründe möhten morn ſprechen es were göckel werck, (Gauckel-werck) *und were jm nit wol zu willen, do über bete er jn und mahte jm einen zedel, den ſolte er jnen beden zoigen und ſolten daruff gar wol zu rate werden, den zedel brehte er jnen und wurdent zu rote das ſü es alſo woltent tun, was im zedel verzeichent ſtunde, und ginge es alſo mit jm in.*

In diſen dingen bäte Andres Dritzehen diſen gezugen jm umb gelt zu helffen, do ſpreche er, hette er gut underpfant, er wolte jm balde helffen und

hülffe jm alſo zu leſte umb LXXXX. ℔. *und* brehte jm das gelt hin uſz zu Sant Arbgalt, *und domit loſte er den Frowen Sant Agneſen II.* ℔. *geltz abe, und ſpreche dirre gezuge was ſol dir ſo vil geltz du bedurfft doch nit me dann LXXX. guldin, do antwurte er jme, er müſte ſuſt ouch gelt han, und das wer II. oder III. tage in der faſten vor unſer Frowen tage do gebe er LXXX. guldin Gutenberg, So gebe dirre gezuge ouch LXXX. guldin, wann die berehtunge were LXXX. guldin jegelichem teil, umb das überige dirteteil ſo dann Gutenberg noch hette, und wurde das gelt Gutenberg, umb den teil und umb die* kunſt, *und wurde in kein gemeinſchafft geleit. Darnoch ſo habe Gutenberg zu diſem gezugen geſprochen Er müſte ein anders gedencken das es in allen ſachen glich würde, ſit er jn vor ſo vil geton hette und gantz mitenander in eins kement, nit das einer vor dem andern ut verhelen möhte, ſo dienet ouch es wol zu dem andern. Der rede was dirre gezuge fro und rümete es den zwein, und darnoch über lang do ſpräche er aber dieſelbe rede, do büte jn dirre gezuge aber als vor, und ſpräche er wolte es umb jn verdienen. Darnoch ſo mehte er jm ein zedel uff dieſelbe rede und ſpreche zu diſem gezugen, heiſſen ſü wol zu rote werden, obe es jr gefug ſy, das dete er und wurdent daruff etwie lange zu rate, Sü nement jn joch ouch zu rate, do ſpreche er ſit dem mole das yetz ſo vil gezüges do iſt, und gemaht werde das uwer teil gar nohe iſt gegen uwerem gelt, ſo wurt uch doch die kunſt vergeben.*

Alſo gingent ſü die ſache mit jme in, umb zwen punten, den einen gar abe zu tunde, und den andern baſs zu lüternde. Der punt abe zu tunde was, das ſü nit wolten verbunden ſin, von Hans Riffen wegen groß oder clein, wan ſü nit von jme hettent, was ſü hetten, das hetten ſü von Gutenbergs wegen. Der ander punte zu lüternde was, wer es das jr keiner von todes wegen abeginge, das das baſs gelütert würde, und wart der alſo gelütert, das man des erben ſo abeginge, ſolte vür alle ding gemaht oder ungemaht vür gelt geleit ſo ſich jegelichem teil gebürt zu koſten zu zu legen und formen und allen gezügk nützit uſgenommen, noch den fünff joren geben hundert guldin, do dett er jn groß vorteil wer es das er abeginge, wan er ließ jn ouch darin gon, alles ſo er für ſinen koſten ſolte voran han genommen zu ſinem teil, und ſolten doch ſinen erben nit me wann hundert guldin geben für alle ding, als der andern einer. Und geſchach das uf das wer eß das jr einer abeginge, das man nit muſte allen erben die kunſt wiſen und uffen ſagen oder offenboren, und das were alles eime alſo gut als dem andern.

Darnoch ſo habent die zwene Andres diſem gezugen under den Kürſenern geſeit, das ſü mit Gutenberg eins worden ſient von des zedels wegen, und hette jnen den punten von Hans Riffen wegen abegelon und wolte jnen den leſten punten baß lütern, ſo in dem nehſten artickel ſtet, und ſeitent ouch doby das Andres Dritzehen hette Gutenberg geben XL. guldin, und dis gezugen bruder jm L. guldin, wann die beredunge uff das zil was fünfzig guldin, als der zedel wiſet, und darnach in den nehſten Winahten XX. guldin, und das ſyent die Winahten nehſt vergangen, und dann darnach zu halbvaſten aber gelt als der zedel wiſet do ſich dirre gezuge uffgezubet, und ſpricht auch diſer gezuge das er den zedel bekenne by den zilen, und würde das gelt nit in gemeinſchafft geleit es ſolte Gutenberges ſin. So habe ouch Andres Dritzehen kein burſe mit uns geleit und nye kein gelt uſgeben, do uſſe für eſſen und trincken ſo ſü do uſſe dotent.

Dirre gezuge hat ouch geſeit das er wol wiſſe das Gutenberg unlange vor Wihnahten ſinen kneht ſante zu den beden Andreſen, alle formen zu holen, *und würdent zur loſſen das er eß ſehe, und jn joch ettliche formen ruwete.*

Do noch do Andres ſelige abeginge, und dirre gezuge wol wuſte das lüte gern hettent die preſſe geſehen, do ſpreche Gutenberg ſü ſoltent noch der preſſen ſenden er forhte das man ſü ſehe, do ſante er ſinen kneht harjn ſü zur legen, *und wann er müſſig were ſo wolte er mit jn reden, das entbot er jn. Er hat ouch geſeit das von Reimbolt Muſelers wegen und von ſinen wegen ſy nye gedaht worden.*

Item Her Anthonie Heilman hat anderwerbe geſeit, das der lengeſte zedel under den zwein zedeln geweſen ſy von dem in ſiner obegemelten ſage ſtet, ſo Gutenberg den zwein Andres geben ließ ſich daruff zu bedencken, und von des andern zedels wegen der der erſt geweſen ſin ſol, do weis dirre gezuge nit obe er es ſy oder nit, dann es ſy jm uſſer ſynne gangen. Er hat ouch geſeit, das Andres Dritzehen und Andres Heilman dem obgenanten Gutenberg ein halp fuder wins geben hant vür das ſi by Im do uſſe geſſen und getruncken hant, So habe ouch Andres Dritzehen Im beſonders geben I. omen geſottens wins und by hundert Regelsbiern. So hat er ouch geſeit, das er ſinen bruder darnoch gefraget habe, wann ſü anfingent zu leren, do habe er jm geantwurt, Gutenberg breſte noch X. guldin von Andres Dritzehen, an den funftzig guldin ſo er an ruckes geben ſolt han.

Item Hanns Dünne der goltſmyt hat geſeit, das er vor dryen joren oder doby Gutemberg by den hundert guldin abe verdienet habe alleine das zu dem trucken gehöret,

Item Midehart Stocker hat geſeit ..... das Er von Andres Dritzehen gehort habe, das er ſpreche, hülff jn Got das das gemahte vverck in der gemeinſchaft vertriben vvürde, ſo hoffte und truvvete er uſs allen ſinen nöten zu kummen.

VERSIO LATINA.

Hæc eſt veritas, quam profeſſus eſt Georgius Dritzehen contra Johannem Moguntinum, dictum Gutenberg, in præſentia Nicolai Duntzenheim & Nicolai zur Helten.

BARBARA Tabernenſis inſtita dixit, ſe colloquendo cum Andrea Dritzehen, verſus concubiam noctem aliquando dixiſſe: an non tandem petiturus es lectum; & illum reſpondiſſe: cœpta prius perficiam; tunc hanc teſtem proclamaſſe: Proh! magnam pecuniæ ſummam, quam tu impendis, decem florenorum valorem pæne excedentem; illum vero reſpondiſſe: non bene ſapis, credis ne decem tantum florenis opus mihi conſtitiſſe? heis! ſi tu haberes id quod ultra trecentos florenos impendi, fortunata ad dies vitæ eſſes, certe quingentos fere florenos negotio impendi, ne dicam de ſumtibus adhuc futuris, quapropter etiam non modo quæ in dominio ſunt, ſed & futuram hereditatem oppigneravi. Adjecit hæc teſtis: ſed proh Deum! quid ſi male res cedat? ille vero: nunquam hoc eveniet. Ante elapſum anni ſpatium ſortem nos inde recipiemus, niſi Deus nos punire decreverit.

Anna, Joh. Schultheiſſii lignarii conjux, profeſſa eſt, Nicolaum Beildeck aliquando domum ſuam ad Nicolaum Dritzehen, ſuum cognatum,

veniſſe, eique dixiſſe: mi Nicolae Dritzehen! Andreas Dritzehen beatæ memoriæ, quatuor paginas prelo ſubjecerat, quas ut inde auferres atque disjiceres, Gutenberg rogavit, ne quis rem incognitam addiſceret, nolle enim ſe quenquam mortalium eam videre. Hæc teſtis porro enunciavit, ſe, cum apud Andream Dritzehen ſuum cognatum commoraretur, noctu diuque in opere hoc conficiendo ei fuiſſe adjutricem; porro, ſibi bene conſtare, Andream Dritzehen illis temporibus ſortem, ex qua annuos reditus percipiebat, oppigneraſſe, cæterum ſe ignorare, an huic operi ſummam impenderit.

Item Johannes Sidenneger enunciavit, Andream Dritzehen ſæpius ſibi dixiſſe, multum æris ipſum conſumſiſſe in dicto opere; nec ſcire, quid tandem ſibi faciendum, cumque hic teſtis reſpondiſſet: tuum eſt Andrea rem inceptam perficere; Andreas ad hæc reſpondit, bona ſua ſibi oppigneranda, regeſſit ipſi hic teſtis: age id facias, ſed vide ne quiſquam illud ſciat. Fecit hoc Andreas; cæterum ſe ignorare, quanta fuerit illa pecuniæ ſumma.

Item Johannes Schultheiſs dixit, Laurentium Beildeck aliquando domum ſuam veniſſe ad Nicolaum Dritzehen, mortuo jam Andrea Dritzehen, hujus fratre, eundemque Laurentium Beildeck Nicolao Dritzehen ſic locutum eſſe: Andreas Dritzehen frater tuus beatæ memoriæ quatuor paginas prelo ſubjecerat, quas inde auferres, prelo imponeres & rumperes, Johannes Gutenberg rogavit, ne quis rem introſpiceret. Nicolaus Dritzehen abiens formas quæſivit, nihil vero invenit. Idem teſtis edixit, ſe jam olim ex Andrea Dritzehen, antequam fato eſſet extinctus, audiviſſe, opus ipſi trecentis minimum florenis conſtitiſſe.

Item Conradus Saſpach dixit, Andream Heilmann aliquando ad ſe in plateam mercatorum veniſſe atque dixiſſe: mi Conrade! cum Andreas Dritzehen mortuus ſit, & tu prelum confeceris, reique conſcius ſis, abi, exime prelo paginas, disjice illas, & nemo ſciet, quid rei ſit; ſed cum hic teſtis id facere voluiſſet, & ita proxime præterito die St. Stephani ſcrutatus eſſet, opus jam fuiſſe ſublatum. Idem teſtis addidit, eundem beatæ memoriæ Andream aliquando ab ſe pecuniam mutuo accepiſſe, eique operi impendiſſe, eundemque Andream aliquando conqueſtum eſſe, annuos ſuos reditus ſe cogi oppignerare, tunc hunc teſtem reſpondiſſe: væ! ſed tuum eſt te eripere; adeoque probe ſe noſſe, quod reditus ſuos oppigneraverit.

Item Wernerus Schmalriem dixit, ſe tres vel quatuor emtiones feciſſe, cujus nomine vero id fecerit, ſe ignorare. Harum una centum & tredecim florenorum fuit, de qua ſumma ad ſexaginta uſque florenos caverunt tres, inter quos Andreas pro viginti. Paulo ante præfixum ſolutionis tempus Andreas huic teſti dixit: veni domum & viginti iſtos florenos accipe; teſtis vero reſpondit: totam ſummam collige. Andreas hoc facto rediit & totam ſummam in domo Domini Heilmann poſitam eſſe dixit; abiret modo, eamque inde tolleret; fecit hoc teſtis, reliquam vero pecuniam omnem Fridelinus à Seckingen ſolvit.

Item Mydehart Stocker dixit, Andream Dritzehen beatæ memoriæ, cum feria Sti. Johannis poſt feſtum Nativitatis Chriſti tempore proceſſionis ægrotare cœpiſſet, in hujus teſtis hypocauſto decubuiſſe. Teſtis eum accedens interrogavit: Andrea quomodo vales? ſed hic reſpondit: ſatis male; & porro dixit: ſi moriendum mihi eſt, optarem nunquam me iſtam contraxiſſe ſocietatem; & huic teſti rationem ejus rei interroganti ſic reſpondit: prævideo diſcordias inter fratres meos & Gutenberg. Interrogavit porro hic teſtis; nullum ne inſtrumentum ſuper hac ſocietate confectum, nec teſtes actui interfuerunt? ille reſpondit: imò confectum eſt inſtrumentum; atque huic teſti leges ſocietatis ſcire cupienti hunc in modum reſpondit: Andreas Heilmann, Johannes Riffe, Gutenberg & ego (Andreas Dritzehen) ſocietatem inivimus, vi cujus Andreas Heilmann & ego quiſque octoginta florenos contulimus, quantum memini. Durante igitur ſocietate, ego cum Andrea Heilmann ad St. Arbogaſtum convenimus Gutenberg, hic vero nonnulla artis ſuæ arcana, tanquam ad illa revelanda non obligatus eſſet, celavit, quod nobis diſplicuit, & rupta hac ſocietate aliam inivimus, ita ut quilibet noſtrûm, ego ſcilicet atque Andreas Heilmann priöribus octoginta florenis tot ſuperadderemus, donec numerus quingentorum impleretur, amboque in hac ſocietate pro uno ſtetimus: conventioni inſertum, ut Gutenberg & Johannes Riffe totidem quiſque pecuniæ præſtarent, quantum hi duo prædicti; quo facto Gutenberg omnia artis ſuæ, quæ noſſet, arcana communicaret. De his omnibus commune inſtrumentum confectum, hac conditione, ut uno vel altero ſociorum mortuo, reliqui ſocii ejus heredibus centum florenos reſtituerent, reliqua vero pecunia, & quicquid ad communionem pertineret, in eadem permaneret. Teſtis adjecit, Andream Dritzehen eodem tempore ſibi dixiſſe, ſatis inſuper ipſum noſſe, quod aliquos redituum ſuorum op-

pigneraverit, quanta vero ejus pecuniæ ſumma ſit, & an eandem huic operi impenderit, ſe ignorare.

In præſentia Theobaldi Brant & Jacobi Rotgebe.

Dominus Petrus Eckhart Parochus eccleſiæ St. Martini dixit; Andream Dritzehen feriis Nativitatis Chriſti ipſum ad confeſſionem audiendam vocaſſe; qua lubenter perfecta teſtis hic eum interrogavit, an æs alienum contraxiſſet, ſive an cuiquam mutuo dediſſet nec ne? reſpondit Andreas, ſe in ſocietatem cum Andrea Heilmann aliiſque ducentos vel trecentos florenos contuliſſe, ac ne obolum quidem habere; addidit, Andream veſtibus ſuis indutum tum cubaſſe ad lectum.

Thomas Steinbach dixit, Johannem Heſs proxenetam aliquando ad ſe veniſſe, & quæſiviſſe, an non quendam noſſet, qui pecuniam exiguo cum damno erogaret? cum ſciret aliquos, & inter hos nominavit Johannem Gutenberg, Andream Dritzehen & Heilmann quendam, quibus pecunia parata opus eſſet. Tunc hic teſtis quatuordecim Lützelburgicos pro illis emit, aliumque jam ſcivit emtorem, cui eoſdem venderet, vendiditque cum damno duodecim cum dimidio florenorum, ejuſque ſummæ prædem ſe obtulit Fridelinus à Seckingen, id quod etiam in Rationes domus mercatoriæ relatum.

Laurentius Beldeck dixit, ſe aliquando à Johanne Gutenberg ad Nicolaum Dritzehen poſt mortem Andreæ, fratris ejuſdem, miſſum eſſe, ut ipſi nunciaret, ne prelum, quod apud ſe haberet, cuiquam monſtraret; idque ſe curaſſe. Addidit, Gutenberg ipſi inſuper mandaſſe, ut ſubito ad prela ſe conferret, & illud prelum, quod duabus cochleis munitum eſſet, aperiret, ut paginæ dilabantur in partes, eaſque partes vel intra vel ſupra prelum poneret. Ita neminem rem vel inſpecturum, vel aliquid ejus intellecturum; utque juſtis ſolutis ad Johannem Gutenberg extra urbem veniret, ſibi enim cum eo differendum. Teſtis hic bene ſibi conſcius eſt, Johannem Gutenberg nihil debuiſſe Andreæ defuncto, ſed Andream Johanni Gutenberg; cujus debiti portiones definitis temporibus ſolvendæ, intra quæ mortuus ſit. Idem teſtis affirmavit, ſe nulli ſociorum conventui apud ipſum habito interfuiſſe, qui poſt feſtum Nativitatis

Nativitatis Chriſti haberi cœperit; ſeque ſæpius Andream Dritzehen cum Gutenbergio menſæ accumbere, nunquam vero denarios erogare vidiſſe.

Reimboltus Ehenheimenſis dixit: ſe paulo ante feſtum Nativitatis Chriſti ad Andream veniſſe, eumque interrogaſſe, quid de rebus, circa quas tam ſolicite verſaretur, faceret? illum reſpondiſſe: eaſdem jam ſibi quingentis minimum conſtare florenis, ſperare tamen ſe, fore, ut opere feliciter conſummato, largos inde denarios reciperent, quibus eidem teſti aliiſque ſatisfaceret, & animum poſt tot ærumnas relaxaret. Idem teſtis enunciavit, ſe tunc temporis illi octo florenos mutuo dediſſe, cum pecunia maximopere indigeret. Teſtis hujus uxor præterea Andreæ ſæpius pecuniam mutuavit; qui aliquando ad teſtem hunc acceſſit cum annulo, quem triginta florenis æſtimans Judæis in Ehenheim pro quinque florenis oppigneravit. Idem teſtis etiam affirmavit, conſtare ſibi, illum tempore vindemiæ duas dimidias menſuras mulſi duobus doliolis præparaſſe, alteramque Johanni Gutenberg cum multis pyris, alteram vero Mideharto donaſſe. Andreas quoque rogavit hunc teſtem, ut ipſi duas dimidias amphoras vini emeret, quo facto Andreas Dritzehen & Andreas Heilmann communibus ſumtibus unam Gutenbergio donarunt.

Johannes Niger, Biſchofsheimenſis, dixit: Andream ad ſe veniſſe, ipſique dixiſſe, opus ſibi eſſe pecunia, ideo cogi ſe ipſum alioſque debitores compellere; ſiquidem aliquid tractaret, ad quod perficiendum non ſatis pecuniæ corrogare poſſet. Cumque hic teſtis eum interrogaſſet, quidnam tractaret? reſpondit: ſpeculorum confectorem ſe eſſe; tunc hunc teſtem tritores conduxiſſe; far ſuum Molshemii & Ehenhemii venum expoſuiſſe, eidemque ſatisfeciſſe. Hic teſtis quoque edixit, Dritzehenium cum Reinboldo aliquando duas dimidias amphoras vini à ſe emiſſe, ſeque teſtem illas Argentoratum advexiſſe; cumque ad St. Arbogaſtum veniſſet, dimidiam menſuram mulſi, quæ eidem carpento impoſita erat, Andream in domum Gutenbergii portaſſe, cum multis pyris, & ex illis duabus dimidiis amphoris Andream defunctum & Andream Heilmann Gutenbergio uuam dono dediſſe.

In præſentia Böſchwiler.

Item Fridelinus de Seckingen dixit: Gutenberg emtione facta, ſe ut prædem conſtitueret, rogaſſe; neque aliter ſibi conſtare, niſi quod Antonius Heilmann ejuſdem emtionis particeps fuerit; poſtea vero idem debitum ſolutum fuiſſe. Edixit quoque Gutenberg: Andream Heilmann & Andream Dritzehen aliquando ipſum rogaſſe, ut prædem ſe offerret genero Petri Stoltz, pro centum unoque florenis; id quod fecerit, ea tamen lege, ut literas indemnitatis triumviri iſti ſibi traderent, ſignatas ſigillo Gutenbergii & Andreæ Heilmann; verum Andream Dritzehen ſigillum ſuum adjicere ſemper diſtuliſſe, imò nunquam adjeciſſe, Gutenberg nihilo minus poſtea illud debitum tempore nundinarum quadrageſimalium proxime extinctarum ſolviſſe. Idem teſtis quoque dixit, ſe plane ignoraſſe ſocietatem horum trium, cum ad illam vocatus fuerit nunquam, nec ipſi interfuerit.

Depoſitio Teſtium Gutenbergii contra Georgium Dritzehen,

in præſentia Franciſci Berner & Böſchwiler.

Item Dominus Antonius Heilmann enunciavit: ſe cum animadvertiſſet, quod Gutenberg Andream Dritzehen pro tertia parte in ſocietatem ſuſcepturus eſſet ad Nundinas Aquisgranenſes ſpeculorum, enixe rogaſſe, ut Andream, fratrem ſuum, eandem in ſocietatem admitteret, quod de eo bene ſit meriturus; tum alterum reſpondiſſe, vereri ſe, ne cognati Andreæ dicerent, rem eſſe præſtigias, ideoque non facile ſe id permiſſurum; iteratis vero precibus & oblata ſchedula, quam duobus alteris monſtraret, ut rem bene ponderarent, concluſum eſſe, facturos ſeſe, ut in ſchedula perſcriptum eſſet, atque ſic ſocietatem cum eo initam eſſe.

Inter hæc Andream Dritzehen ab eodem teſte pecuniam mutuam petiiſſe, huncque reſpondiſſe, bona ſe pignora habere, quibus confeſtim ſubvenire poſſet, eique tandem 90. libras dediſſe, quas ad St. Arbogaſtum portaſſet, & à Monialibus S. Agnetis reditus duarum librarum redemiſſet. Regeſſit hic teſtis: quid tibi tantum pecuniæ, cum octoginta modo

Digitized by Google

florenis opus habeas? reſpondit vero ille, & ad alia ſe pecunia egere, biduoque vel triduo ante feſtum Annunciationis Mariæ Gutenbergio octoginta florenos ſe daturum, quantum nempe idem daturus ſit teſtis, cum conventio fuerit 80. florenorum à ſingulis ſolvendorum, pro reliqua tertia parte, quam Gutenberg adhuc haberet, pecuniamque eam ipſi datam pro receptione in ſocietatem & pro arte, neque communi ſorti eam adjectam eſſe. Inde Gutenberg huic teſti dixiſſe, de alia re ſibi mentionem faciendam, quomodo nimirum in recognitionem tot præſtitorum ſervitiorum in omnibus æquales fierent, neque ulla res in poſterum inter ipſos celaretur; idque ad reliquum opus pertinere. Lætus hoc ſermone teſtis, reliquis duobus eum retulit. Longo poſt tempore eadem (Gutenberg) dixit, teſtisque hic eum, ſicut antea, obteſtatus eſt, promittens, bene ſe de eo eam ob rem meriturum. Quo facto ſcheda ab illo ſibi tradita cum hoc monito: jubeas reliquos rem ut bene perpendant, videantque num ſibi placeat? Fecit hoc (teſtis), illique inter ſe diu deliberarunt, Gutenberg ipſum conſulentes, qui alio poſtea tempore dixit: nunc tot inſtrumenta comparata ſunt, ut pars veſtra pecuniam à vobis illatam fere æquet, & ſic artem gratuito didiciſtis. Itaque cum eo convenerunt ſuper duos articulos, quorum alter abrogaretur, alter vero illuſtraretur. Articulus abrogandus erat: ut nullo modo de Johanne Riff caverent, nihil ipſis cum præſtitiſſet, omniaque Gutenbergio deberent. Articulus illuſtrandus vero caſum mortis reſpexit, ut ſi quis ſociorum vita excederet, reliqui pro ſoluta pecunia, omnibus inſtrumentis, formis & impenſis cujuscunque nominis, nulla re excepta, ejus heredibus centum florenos poſt quinquennium ſolverent. Gutenberg ipſis magnum beneficium ſe dicebat præſtare, cum ſcilicet ſuis heredibus centum quoque tantum florenos ſit ſtipulatus, ita ut his centum florenis omnia impenſa, ſuo proprio nomine antehac facta, comprehenderentur. Hæc omnia facta ſunt eo fine, ne uno vel altero ex ſociis mortuo, ejus heredibus ars manifeſtanda eſſet, quod ſingulis æque gratum foret.

Deinde uterque Andreas ſub tribu pellionum teſti huic dixit, ſe conveniſſe cum Gutenbergio de obligatione, atque articulum, Johannem Riff concernentem, abrogatum, poſteriorem vero ab illo approbatum eſſe; inſuper Andream Dritzehen Gutenbergio quadraginta florenos & fratrem hujus teſtis quinquaginta dediſſe, quippe ita inter ſe pactos, ut ſub finem Septembris quinquaginta floreni, & poſtea feſto Nativitatis Chriſti viginti ſolverentur, idque effectum eſſe dicto feſto nuper elapſo; deni-

que ſub medium Quadrageſimæ adhuc quandam pecuniæ ſummam, vi obligationis ab hoc teſte productæ, fuiſſe ſolvendam.

Idem teſtis quoque dixit, ſe hanc obligationem veram affirmare, & pecuniam iſtam non communi maſſæ eſſe illatam, ſed Gutenbergio fuiſſe addictam. Andream quoque nunquam pecuniam in commune contuliſſe, nec erogaſſe pro victu & potu extra urbem ipſis miniſtrato.

Idem teſtis inſuper dixit, ſe probe ſcire, Gutenberg paulo ante Nativitatis feſtum famulum ſuum ad utrumque Andream miſiſſe, ut omnes formas peteret, quæ in conſpectu ejus disjectæ, quod nonnulla in illis emendanda reperiret.

Deinde cum poſt mortem Andreæ hic teſtis haud ignoraret, multos curioſos eſſe prela videndi, Gutenberg mandaſſe, ut quendam mitterent, qui impediret, ne quis prela videret, ſuumque famulum miſiſſe ad ea disjicienda, ſe vero otio dato cum illis collocoturum promiſit. Dixit quoque, de Reinboldo Muſeler & de ſe nunquam eſſe mentionem factam.

Item Dominus Antonius Heilmann alibi dixit: inter obligationes duas, de quibus in ſupra dicta ſua depoſitione ſermo eſſet, iſtam, quæ majoris formæ, eandem eſſe, quam Gutenberg utrique Andreæ dediſſet perpendendam, de altera vero & antecedenti obligatione ſibi non conſtare, ejuſque ſe plane oblitum eſſe.

Dixit quoque, Andream Dritzehen & Andream Heilmann Gutenbergio pro convictu ipſis ſubminiſtrato dimidiam amphoram vini, & Andream Dritzehen proprio ſuo nomine menſuram mulſi, centumque circiter pyra dediſſe.

Edixit inſuper, ſe fratrem ſuum poſtea interrogaſſe, quonam tempore addiſcere inciperent? eumque reſpondiſſe: Gutenberg adhuc decem florenos reſtantes, ut ſumma quinquaginta florenorum promiſſa compleretur, ab Andrea Dritzehen expetere.

Item Johannes Dünne aurifaber dixit: ſe jam ante tres vel circiter annos, ad centum florenorum pretium pro rebus ad impreſſionem pertinentibus à Gutenbergio accepiſſe.

Item Midehartus Stocker dixit, ſe audiviſſe ex ore Andreæ Dritzehen: ſi Deus benedixerit, ut res à ſocietate perfectæ emtores inveniant, tum ſe ſperare atque confidere, ſe ex omnibus anguſtiis ſuis eſſe emerſurum.

Digitized by Google

NUM. III.

Sententia Senatus in Gutenbergii cauſa,

EX PROTOCOLLO CONTRACTUUM.

Anno M°. CCCC°. Triceſimo nono.

WIR Cune Nope der Meiſter und der Rat zu Straßburg thun kunt allen den die diſen brieff ſehent oder hörent leſen, daß für uns kummen iſt Jerge Dritzehen vnſer burger im namen ſin ſelbs und mit vollem gewalt Clauß Dritzehen ſins bruders, und vorderte an Hans Genſzefleiſch von Mentz genant Gutenberg, vnſern hinderſoſz, *und ſprach alß hette Andres Dritzehen ſin bruder ſelige ein erber gut von ſime vatter ſeligen geerbet, und deßelben ſins vetterlichen erbs und guts etwa vil verſetzet und darus ein trefflich ſumme gelts broht, und wer alſo mit* Hanſz Gutenberg *und andern zu einer geſellſchafft und gemeinſchafft kommen, und hett ſolch gelt in dieſelbe gemeinſchafft zu Hans Gutenberg geleit, und hettent* gut zit Ir gewerbe mittenander gemaht und getriben *des ſie auch ein* mychel (groſz) *teil zuſammen broht hettent, So were auch Andres Drytzehen an vil enden do ſie* bli *und anders das darzu gehört kaufft hettent, bürge worden, das er auch vergolten und bezalt hette, Alß nu derſelbe Andres von tode abegangen were, hette er und ſin bruder Clauß ettwie dick an* Hannſz Gutenberg *gefordert, daß Er ſie an Irs bruder ſeligen ſtat, in die gemeinſchafft nemen ſolte, oder aber mit Inen überkommen umb ſolich ingeleit gelt, ſo er zu Im in die gemeinſchafft geleit hette, das er aber alles nie getun wolte, und ſich domit behülffe, daß Andres Dryzehen ſolich gelt in die gemeinſchafft zu Im nit geleit haben ſolte, do er aber hoffte und truwete erberlich zu erzügen wie er dovor geret hette, daß das alſo ergangen were, und darumb ſo begerte er noch hütbitage daß Gutenberg In und ſin bruder Clauß in Ir erbe und in die gemeinſchafft an Irs bruder ſeligen ſtat ſetzen, oder aber ſolich ingeleit gelt, von Irs bruder ſeligen wegen wider harus geben wolte, Alß Inen das von erbes und rechtes wegen billich zugehörte; Oder aber ſeite warumb er das nit tun ſolte.*

Dagegen antwurt Hanns Gutenberg, daß Ime ſolich vorderunge von

Jerge Drytzehen unbillig neme, Sit er doch durch etlich geſchrifft und zedel ſo er und ſin bruder hinder Andres Dryzehen Irem bruder noch tode funden hätte wol underwißen were, wie er und ſin bruder ſich mittenander vereyniget hettent, Dann Andres Dryzehen hette ſich vor ettlichen Jaren *zu Im gefüget und underſtanden ettlich kunſt von Im zu leren und zu begriffen, Deß hett er In nu von ſiner bitt wegen geleret, Stein bollieren das er auch zu den ziten wol genoſſen hette, Donoch über gut zit, hette er mit Hanns Riffen vogt zu Lichtenow ein kunſt underſtanden Sich der uff der Ocher heiltums fart zu gebruchen und ſich des vereynigt daß Gutenberg ein zweiteil und Hans Riffe ein dirteil daran haben ſolte, Deß were nu Andres Dryzehen gewar worden, und hette In gebeten Inen ſolich kunſt auch zu leren und zu underwiſen, und ſich erbotten daß noch ſim willen umb In zu verſchulden. In dem hette Her Anthonie Heilmann Inen deßglichen von Andres Heilmanns ſins bruders wegen auch gebetten, do hette er nu Ir beden bitt angeſehen und Inen verſprochen Sie des zu leren und zu underwißen, und ouch von ſolicher kunſt und afentur das halbe zu geben und werden zu laßen, alſo daß ſie zween ein teil Hans Riff den andren teil und er den halben teil haben ſolte, Darumb ſo ſoltent dieſelben zwvene Im Gutenberger hundert und LX. gulden geben in ſinen ſeckel von der kunſt zu leren und zu undervviſen, Do Im auch uff die zit von ir jeglichem LXXX. gulden vvorden vvere, Als hettent ſie alle vor Inen daß die heiltums fart uff dis Jar ſolte ſin, und ſich daruff gerüſtent und bereit mit Ir kunſt, Alß nu die heiltumbfart ſich eins Jares longer verzogen hette, hettent ſie fürbas an In begert und gebetten Sie alle ſin* künſte und afentur *ſo er fürbaſſer oder in ander vvege mer erkunde oder vvuſte, auch zu leren und des nicht vür Inen zu verhelen, Alſo überbatent ſie Ine daß ſie des eins vvurdent und vvurde nemlich beret daß Sie Im zu dem erſten gelt geben ſoltent III½c. gulden, das vvere zuſammen 410. gulden, und ſoltent Im auch des hundert gulden geben alß bar, deß Im auch uff die zit 50. gulden von Andres Heilmann und 40. fl. von Andres Dryzehen vvorden vverent, und ſtundent Im von Andreß Dryzehen des noch 10. fl. uß. Darzu ſoltent die zvvene Ir jeglicher Im die 75. fl. geben zu dryen zilen noch dem dann dieſelbe zil deßmols beret vvorden vverent, Do ober Andres Dryzehen in ſolichen zilen von tode abegangen vvere und Ime ſolich gelt von ſinet vvegen noch uſſſtünde, ſo vvere auch uff die zit nemlich beret, daß ſolich Ir affenture mit der kunſt ſolt vveren* fünff gantze Jar, *und vver es daß ir einer under den vieren in den fünff jaren von tode abeginge,* ſo ſolte alle kunſt, geſchirre und gemaht werck *by den undern bliben, und ſoltent des abegangenen erben dafür noch uſſgang der*

fünff jor vverden hundert gulden, Das und anders auch alles zu der zit verzeichent und hinder Andres Dryzehen kömmen ſy darüber einen verſigelten brieff zu ſetzen und zu machen alß das die zeicheniß hüter uſvviſet, und habe auch Hanß Gutenberg ſie ſithar und daruff ſolich afentur und kunſt *gelert und undervviſen, deß ſich auch Andres Dryzehen an ſine tot bett bekant hette, Darumb und vvile die zedel ſo darüber begriffen und hinder Andres Dryzehen funden vverent, das hüter beſagen und innhalten, und er das auch mit guter kuntſchafft hofte byzubringen, ſo begerte er, daß Jörge Dryzehen und ſin bruder Clauß Im die 85. gulden ſo Im von Irs bruder ſeligen vvegen noch alſo uſſtünden, an den 100. gulden abeſchlahent, ſo vvolle er Inen die überigen 15. gulden nochgeben, vvievvol er des noch etliche jahr zil hette, und Inen darumb tun noch vviſinge ſolicher zedel davon begriffen, Und alß Jerge Dryzehen fürbas gemeldet hette vvie Andres Dryzehen ſin bruder ſelige etvvie vil ſins vatters erbe und guts gehebt, verſetzet oder verkaufft habe, das gange Ine nicht an, und Im ſy von Im nit me vvorden, dann er vor erzalt habe, ußgeſat ein halben omen geſotten vvins, ein korp mit bieren und er und Andres Heilmann haben Im ein halb fuder wins geſchencket, do ſie zwene faſt me by Im verzert hettent, darumb Im aber nützit worden were, Darzu als er fordert Inen in ſin erbe zu ſetzen, do wiße er dehein erbe noch gut do er Ine inſetzen ſolle oder dovon er Im iht zu thun ſy. So ſy auch Andres Dryzehen niergent ſin bürge worden, weder* für bli oder anders, *one ein mol gegen Fridel von Seckingen, von dem habe er Ine noch ſime tode wider gelidiget und gelöſet, und begert darumb ſin kuntſchafft und vorheit zu verleien.*

Alß nochdem Wir Meiſter und Rat obgenamt forderunge und antwurt, rede und widerrede, auch kuntſchafft und vorheit ſo ſie beder ſite fürgewant habent und beſunder den zedel wie die beredung vor Vns geſchehen, verhörtent, do komment Wir mit recht urteil überein und ſprochent es auch zu recht: vvile ein zedel da iſt der da vviſet in vvelcher maße die beredunge zugangen und geſchehen ſin ſoll. Sy dann daß Hanns Riff, Andres Heilmann und Hanns Gutenberg ſchvverent einen eit an den Heiligen, daß die ſache ergangen ſient, alß das der obgemelt zedel vviſet, und das derſelbe zedel daruff begriffen vvurt daß ein beſigelter brieff daruß gemaht ſin ſolt ob Andres Dryzehen by ſinem leben bliben were, und daß Hanß Gutenberg do mit ſweret, daß Im die 85. gulden von Andres Dritzehen noch unbezalt uſſtont, ſo ſollen Im dieſelben 85. gulden an den obgemelten 100. gulden abegon, und ſoll die übrige 15. gulden gemelten

Jörge und Claus Dryzehen harus geben, und ſollent die 100. *gulden domit bezalt ſin noch innhalt der obgemelten zedel, Und ſoll Gutenberg fürbas von deß wercks und gemeinſchafft wegen mit Andres Dryzehen all nützit zu tun noch zu ſchaffen haben. Solichen eit Hans Riff, Andres Heilman und Hanns Gutenberg vor Vns alſo geton habent, ußgenommen daß Hans Riff geſeit hat daß er by der beredung am erſten nit geweßen ſy, ſo bald er aber zu In kommen und ſie Im die beredung ſeiten, da ließ er das auch daby bliben, daruff gebieten Wir dieſe verheißung zu halten.* Datum vigil. Lucie & Otilie (d. 12. Dec.) Anno XXXIX.

VERSIO LATINA.

NOS Cuno Nope Prætor & Senatus Argentoratenſis notum facimus omnibus, præſentes literas inſpecturis vel audituris, quod Nos adierit Georgius Dritzehen, Civis noſter, tam proprio nomine, quam mandato Nicolai Dritzehen, fratris ſui, inſtructus, agens contra Johannem Genſfefleiſch de Moguntia, dictum Gutenberg, incolam noſtrum, & exponens, defuncto ſuo fratri Andreæ Dritzehen luculenta ex paterna hereditate obveniſſe bona, ex quorum oppigneratione non parvam redegerit pecuniæ ſummam, quam ſocietati, cum Johanne Gutenberg aliiſque initæ, intulerit; diuque illos in ſocietate perſtitiſſe, quæſtumque magno emolumento exercuiſſe. Andream Dritzehen diverſis in locis, ubi plumbum aliaque ad id neceſſaria comparaverint, fidem ſuam interpoſuiſſe, ac facta ſolutione liberaſſe. Andrea igitur mortuo, ſe fratremque ſuum Nicolaum petiiſſe ſæpius à Johanne Gutenberg, ut ſocios ipſos in locum fratris defuncti reciperet, aut de collata in ſocietatem pecunia cum ipſis transigeret; quæ vero omnia recuſaverit, pecuniam iſtam ab Andrea Dritzehen in ſocietatem collatam eſſe negans. Cum vero dictorum veritatem ſatis ſe probaturum confidat, ideo ſe petere adhuc, ut Gutenberg ſe & fratrem ſuum Nicolaum in partem collatæ pecuniæ & lucri ſocietatis loco defuncti fratris admittat, aut collatam à fratre pecuniam, ipſis legitimis ejus heredibus reſtituat, aut cur recuſet, exponat.

Reſpondit ad hæc Johannes Gutenberg: Georgii Dritzehen petitum

tum ſibi injuſtum videri, cum ex ſcriptis & ſchedis, apud defunctum fratrem Andream Dritzehen repertis, ſatis ipſe (actor) leges ſocietatis, à ſe (Gutenberg) cum ejus fratre contractæ, intelligere poſſit. Scilicet, quod Andreas Dritzehen ante aliquot annos ſecum conjunxerit, quandam à ſe artem diſcere conatus. Annuiſſe ſe ejus petito & lapides poliendi artem ipſi monſtraſſe, unde & lucrum non exiguum ceperit. Diu poſt ſe cum Johanne Riff, præfecto Lichtenavienſi, quandam artem exercere cœpiſſe, qua in Nundinis Aquisgranenſibus uterentur, ita ut duæ tertiæ lucri Gutenbergio, reliqua pars Johanni Riff obvenirent. Andream Dritzehen, hac re intellecta, petiiſſe, ut & ſibi artem iſtam explicaret, præmium, quod vellet, promittens. Interea Antonium Heilmann pro fratre ſuo, Andrea Heilmann, eadem rogaſſe; annuiſſe ſe amborum petitis, artem ſuam illos docens, ac emolumentorum fructuumque dimidiam partem ipſis ſpondens; ita ut ii ambo unam partem, Johannes Riff alteram, ipſe vero dimidiam conſequeretur; pro mercede traditæ artis ambos ſibi Gutenberg 160. florenos ſolvere debuiſſe, ac definito tempore quemlibet illorum 80. ſibi aureos perſolviſſe. Cumque omnes perſuaſi eſſent, Nundinas Aquenſes eo anno celebratum iri, omniaque ad eas paraſſent, illæ vero ad annum ſequentem differrentur, ſocios à ſe (Gutenberg) petiiſſe, ut omnes, quas calleret, artes mirabiles atque ſecretas, nulla excepta, ipſis traderet. Reſpondiſſe ſe illorum voto, ea conditione, ut priori ſummæ 250. florenos adderent, unde ſumma 410. florenorum prodiret, quorum centum parata pecunia ex his ſtatim ſolvendæ; id quod etiam præſtitum ſit ab Andrea Heilmann, qui 50. florenos exſolverit, & ab Andrea Dritzehen, qui ſolverit 40. florenos; adeoque florenorum decem adhuc debitor exiſtat; 75. florenos autem, qui reſtent à ſingulis ſolvendi, ambo adnumerarent tribus illis, de quibus tum convenerint, definitis temporibus. Cum vero Andreas Dritzehen interea temporis obierit, iſtaque pecunia ab ipſo perſoluta nondum ſit, ad hoc inter ipſos quinque annorum terminus placuerit pro exercenda arte mirabili, & additum ſit, quod, ſi unus quatuor contrahentium intra definitum quinquennium deceſſerit, omnia artis utenſilia & opera inſtrumentis perfecta apud reliquos manerent, qui finitis quinque annis defuncti heredibus centum redderent florenos. Cujus rei acta apud Andream Dritzehen depoſita, ita ut ſolenne inſtrumentum ſigillo munitum deinceps conficeretur, id quod ipſa quoque acta teſtentur; Johannem Gutenberg quoque poſtea hanc ſecretam & mirabilem artem ipſos docuiſſe, quod & Andreas Dritzehen, morti proximus, confeſſus ſit. Cum itaque chartæ, hac ſuper re confectæ, & apud Andream

Dritzehen repertæ, hoc clare contineant ac oſtendant, ipſeque præterea probatis teſtibus ſe demonſtraturum confidat, petere ſe, ut Georgius Dritzehen & ejus frater Nicolaus 85. florenos, quos defunctus eorum frater ſibi (Gutenberg) nondum ſolvit, de illis centum florenis detrahant; ſe reſiduos quindecim florenos ipſis redditurum, quamvis dies ſolutionis nonniſi poſt aliquot annos venturus ſit; adeoque heredibus ſe ſecundum literas ſuper hac re conſcriptas ſatisfacturum. Quod autem Georg. Dritzehen porro alleget, Andream Dritzehen, defunctum ſuum fratrem, multa ex paterna hereditate partim oppigneraſſe, partim alienaſſe, hoc ſibi præjudicio eſſe non poſſe, cum præter dictam pecuniam & præter dimidiam vini cocti menſuram & caniſtrum pirorum acceperit nihil, niſi quod is (Dritzehen) atque Andreas Heilmann ſibi dimidiam carratam vini dono dederint, cum illi plus fere penes ſe conſumſerint, pro quo tamen nihil perceperit. Fruſtra quoque ipſum (Georgium) petere, heredis titulo in emolumenta ſocietatis admitti, cum nullas ejus rei obligationes noſcat; neque Andream Dritzehen uſquam pro plumbo aliisve rebus comparandis fidem ſuam interpoſuiſſe, niſi apud Fridelinum à Seckingen, qua tamen ipſe (Gutenberg), poſt mortem ejus, numerata à ſe pecunia, eum liberaſſet, quæ vera probaturum ſe offert per teſtes.

Nos Prætor & Senatus audita dicta actione & exceptione, petito & reſponſione, probatione & teſtimoniis, ab utraque parte allatis, & præcipue charta conventionis examinata, judicamus & ſtatuimus, ratam eſſe conventionis formulam, quam initam eſſe, ex charta patet, ita tamen, ut Joh. Riff, Andreas Heilmann & Joh. Gutenberg jurejurando ad ſanctos præſtito fidem dictæ chartæ ſuppleant, & affirment, dictam Conventionem publici Inſtrumenti formam accepturam fuiſſe, ſi Andream Dritzehen mors non præripuiſſet. Joh. quoque Gutenberg inſuper jurejurando ſi aſſeveret, illos 85. florenos ipſi ab Andrea Dritzehen nondum fuiſſe ſolutos, deducat ille iſtos 85. florenos à centenis, quos debet, & ſi reſiduos quindecim Georgio & Nicolao Dritzehen reddiderit, centum illi floreni ſoluti cenſeantur, ſecundum tenorem ſupra dictarum chartarum; Gutenbergioque ratione operis & ſocietatis nihil amplius cum illis ſit commune. In dictam formulam jurarunt Johannes Riff, Andreas Heilmann & Joh. Gutenberg, nobis præſentibus, niſi quod Joh. Riff enuntiaverit, ſe primæ deliberationi non interfuiſſe, acquieviſſe tamen, cum ipſo ſuperveniente conventionis formulam repetierint. Jubemus ergo, ſtandum eſſe dictæ Conventioni. *Datum vigil. Lucie & Otilie* (d. 12. Dec.) Anno XXXIX.

Digitized by Google

NUM. IV.

Laurentii Beildeck, qui famulus Gutenbergii fuit, Querimonia.

EX PROTOCOLLO SENATUS MAJORIS,

CUJUS RUBRUM:

Queremonie & teſtes regiſtrati Magni Conſilii, Anno Dni M°. CCCC°. XXX nono.

ICH Lorentz Beildeck clage uch Herren der meiſter abe Jorg Dritzeben, Als hatt er mir für uch mine gnedigen Herren meiſter und Rat gebotten Ime ein worheit zu ſagen, da ich ouch by minem geſwornen eide geſeit habe was ich davon wuſte. Als iſt nu der egenamt Jörg Dritzchen darnoch aber für uch komen und hatt einen botten anderwerbe an mich gevordert jme eine worheit zu ſagen und hat damit geret ich habe vor nit wor geſeit. Darzu hat er ouch zu mir offenlich geruffet, höreſtu worſager du muſt mir wor ſagen ſolte ich mit dir uff die leiter kommen, und hatt mich damit frevenlich geſchuldiget und gezugen das ich ein meineidiger böſewicht ſye, da er mir doch von den gnaden Gottes unrecht geton hatt das doch ſwer böſe ſachen ſint &c.

Poſt medium hujus Protocolli, ubi enumerationes teſtium in diverſis cauſis, ſequentia leguntur:

Dis iſt Gutenbergs Worheit wider Jerge Dritzehen.

Item Her Anthonie Heilman
Item Andres Heilman

Item Claus Heilman
Item Mudart Stocker
Item Lorentz Beldeck
Item Wernher Smalriem
Item Fridel von Seckingen
Item Ennel Drytzehen
Item Conrat Saſpach
Item Hans Dunne
Item Meiſter Hirtz
Item Her Heinrich Olſe
Item Hans Riffe
Item Her Johans Dritzehen.

Dis iſt Jerge Dritzehen Worheit gegen Hans Gutenberg.

Item Lütprieſter zu Sant Martin
Item Fridel von Seckingen
Item Jocöp Imeler
Item Hans Sydenneger
Item Midhart Honöwe
Item Hans Schultheis der holtzman
Item Ennel Dritzehen ſin huſfröwe
Item Hans Dunne der goltſmit
Item Meiſter Hirtz
Item Heinrich Biſinger
Item Wilhelm von Schutter
Item Wernher Smalriem
Item Thoman Steinbach
Item Saſpach Cunrat
Item Lorentz Gutenbergs knebt und ſin fröwe
Item Reimbolt von Ebenheim
Item Hans IX jor von Biſchoffsheim
Item Stöſſer Neſe von Ebenheim
Item Berbel das clein fröwel
Item Her Jerge Saltzmütter

Digitized by Google

Item Heinrich Sidenneger
Item ein brieff über X. ℔. gelts hant die Herren zum jungen Sant Peter her Andres verſetzt
Item ein brieff über II. ℔. gelts hant die Wurmſer ouch
Item Hans Roſſ der goltſmit und ſin fröwe
Item Her Goſſe Sturm zu Sant Arbegaſt
Item Martin Verwer.

VERSIO LATINA.

EGO Laurentius Beildeck defero ad Vos, Dominos Magiſtros, Georgium Dritzehen, quod cum ad Vos, Inclytos Magiſtros & Senatum, me citaſſet, ut dicerem verum, egoque quidquid iſta de cauſa noveram jurato dixiſſem; Georgius ille Dritzehen poſtea iterum ad Vos acceſſit, & per alium nuntium, ut verum dicerem, denuo poſtulavit, antea minus vera me edixiſſe incuſans. Præterea publice me compellavit his verbis: Audisne, homo veridice, cogam te verum dicere, ſi vel patibulo tecum ſuſpendi deberem; adeoque perjurum nebulonem me eſſe, nefarie arguit, quamvis gratia Dei ſim innocens. Imputatio gravis!

Poſt medium Protocolli legitur:

Hæc eſt Gutenbergii veritas (teſtes) contra Georgium Dritzehen.

Item Dom. Antonius Heilman.
Item Andreas Heilman.
Item Nicolaus Heilman.
Item MudartusStocker.
Item Laurentius Beldeck.
Item Wernherus Smalriem.
Item Fridelinus de Seckingen.
Item Anna Dritzehen.

Item Conradus Saſpach.
Item Johannes Dunne.
Item Magiſter Hirtz.
Item Dom. Heinricus Olſe.
Item Johannes Riffe.
Item Dom. Johannes Dritzehen.

Hæc eſt Georgii Dritzehen veritas (teſtes) contra Johannem Gutenberg.

Item Parochus ad St. Martini.
Item Fridelinus de Seckingen.
Item Jacobus Imeler.
Item Johannes Sydenneger.
Item Midhartus Honöwe.
Item Johannes Schultheis, lignarius.
Item Anna Dritzehen, uxor ejus.
Item Johannes Dunne, aurarius faber.
Item Magiſter Hirtz.
Item Heinricus Biſinger.
Item Wilhelmus Schutterenſis.
Item Wernherus Smalriem.
Item Thomas Steinbach.
Item Saſpach Conradus.
Item Laurentius, Gutenbergii ſervus, cum uxore ſua.
Item Reimboldus de Ehenheim.
Item Johannes Neunjor de Biſchoffsheim.
Item Agnes Stœſſer de Ehenheim.
Item Barbara muliercula.
Item Dom. Georgius Salzmütter.
Item Heinricus Sydenneger.
Item chirographum X. librarum argenti, quod Canonici D. Petri Jun. Dom. Andreæ pignori dederunt.
Item chirographum II. librarum argenti, quod in Wurmſeriorum manibus eſt.
Item Johannes Roſſ, faber aurarius, & uxor ejus.
Item Dom. Goſſe Sturm ad S. Arbogaſtum.
Item Martinus Verwer.

NUM. V.

Inſtrumentum emptionis redituum, ubi Gutenbergius, dictus Gensfleiſch, condebitor eſt.

EX LIBRO SALICO ECCLESIÆ THOMANÆ ARGENTORATENSIS, N°. B. Fol. 293. a.

A. MCCCCXLI.

CORAM nobis judice curiæ Argentinenſis conſtitutus Johannes Karle armiger pro ſe & ejus heredibus univerſis vendidit & libere reſignavit honeſtis viris dominis Decano & Capitulo eccleſiæ Sancti Thomæ Argentinenſis & eorum ſucceſſoribus in eadem Eccleſia cum centum libris denariorum Argentinenſium ex reemptione quorundam reddituum, quatenus ad prædictum Capitulum dictæ eccleſiæ ſpectabant, & de bigeniis & de trunco in choro dictæ eccleſiæ Sancti Thomæ coram Præpoſito ipſius eccleſiæ exiſtente habitis & receptis, ut dicitur, ementibus redditus annuos quinque librarum denariorum Argentinenſium uſualium ſuper bonis & redditibus conſcriptis in inſtrumento, cui hæc præſens litera, ſigillo curiæ Argentinenſis ſigillata, eſt transfixa. Quos quidem redditus jam venditos prænominatus venditor pro ſe & ejus heredibus univerſis dominis Decano & Capitulo dictæ eccleſiæ, pro tempore exiſtentibus, ſingulis annis, in feſto beati Hilarii epiſcopi, de bonis & redditibus in dicto inſtrumento conſcriptis ſolvere, dare, & in civitate Argentinenſi præſentare, bonaque in ædificiis & in cultura bona conſervare tenere promiſit. Nullo caſu grandinis, gewerræ, litigii &c. ipſeque venditor pro ſe & ejus heredibus univerſis bona & redditus in dicto inſtrumento conſcriptos, eſſe velint obnoxios, obligatos & ypotechatos dominis Decano & Capitulo dictæ eccleſiæ &c. Ut autem dominus Decanus & Capitulum annis ſingulis de ſolutione & præſentatione dictorum reddituum, ut præfertur, certiores exiſtant, conſtituti coram nobis Judice ſupradicto ſtrenuus vir Lutholdus de Ramſtein miles & *Johannes dictus Genſefleiſch alias nuncupatus Gutenberg de Maguntia, Argentine* commorantes, pro ſe & eorum heredibus uni-

verſis una cum prænominato venditore erga dominos Decanum & Capitulum dictæ eccleſiæ Sancti Thomæ, pro tempore exiſtentes, pro præſcriptis jam venditis redditibus, ut præfertur, ſolvendis & præſentandis, nec non pro bonis in prætacto inſtrumento conſcriptis &c. Et in ædificiis & cultura bonis conſervandis condebitores in ſolidum conſtituerunt præſentibus atque fecerunt, ita & in modum hunc: Videlicet ſi jam prædictus venditor vel ejus heredes anno aliquo in prædicto termino in ſolutione & præſentatione reddituum venditorum, ut præfertur, faciendis negligentes exiſterent aut bona in prætacto principali inſtrumento conſcripta in ædificiis & cultura bonis non conſervarent, & tunc præfatus Lutholdus Ramſtein condebitor ſi propria in perſona ſubſcriptum obſtagium ſervare noluerit, unum famulum honeſtum cum uno equo, loco ſui, per fidem nomine juramenti, dictique Johannes Karle venditor & Johannes Gutenberg condebitor ſe propriis ſuis in perſonis per juramenta ab ipſis coram nobis corporaliter præſtita, in civitatem Argentinenſem in hoſpitium publici hoſpitis, quod eis per dominos Decanum & Capitulum dictæ eccleſiæ Sancti Thomæ, pro tempore exiſtentes, deputabitur in obſtagium more obſidum, & ſolitum & conſuetum ad res venales ſine quovis pacto infra octo dies proximos, poſt quam ſuper hoc ex parte dominorum Decani & Capituli, pro tempore exiſtentium, de ore ad os, vel per litteras aut per nuncios ſeu ad hoſpitia ſua moniti vel requiſiti fuerint, præſentabunt & præſentare promiſerunt, nunquam ab obſtagio hujuſmodi receſſuri, niſi prius redditus jam venditi, tunc neglecti, fuerint integraliter perſoluti. Et ſi venditores aut condebitores prædicti aut aliquis ipſorum hujuſmodi obſtagium infringerent vel id juxta modum prætactum, quod abſit, non ſervarent, quod tunc venditor & condebitores prædicti excommunicationis ſententiæ, quam a nobis judice ſupradicto in ſe ſuosque heredes univerſos ſponte fieri elegerant ac ſe noſtræ Juriſdictioni in hac parte ſubmiſerant, debeant ſubjacere. Et nihilominus licitum erit dominis Decano & Capitulo dictæ eccleſiæ Sancti Thomæ, pro tempore exiſtentibus, ac coadjutoribus eorundem univerſis auctoritate ipſorum propria vel mediante judicio eccleſiaſtico vel ſeculari aut ſine judicio, ut magis placuerit eiſdem, venditorem & condebitores prædictos & eorum heredes univerſos ac univerſa & ſingula ipſorum mobilia & immobilia bona, ubicunque locorum ſita ſunt, reperta fuerint vel inventa, quocunque nomine nuncupata, & ſpecialiter bona & redditus ypotechatos, in dicto inſtrumento conſcriptos, in ſolidum occupare, invadere, apprehendere, pignori capere, & diſtrahere, uſque ad ſolutionem plenam reddituum, jam venditorum, tunc neglectorum, prædictorum &

quouſque

